

SYNODVS DIOECESANA SYRACVSANA PRIMA

AB ILL.^{mo} ET REVER.^{mo}

D. IOANNE ANTONIO CAPIBLANCO

V.I.D. DEI, ET APOST. SEDIS GRATIA

EPISCOPO SYRACVSANO, REGIOQ; CONSILIARIO

Celebrata sub Die Quarto Octobris 1651. Præsulatus sui Anno Tertio; Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Innocentij Papæ X. Anno Octauo.



CATANÆ In Ædibus ILLVSTRISSIMI SENATVS,

Apud Vincentium Petronium 1651. Superiorum Permissu.

SYNODVS DIOECESANA SYRACVSANA PRIMA

AB ILL.MO ET REVER.MO

D. IOANNE ANTONIO CAPIBLANCO

V.I.D. DEI, ET APOST. SEDIS GRATIA

EPISCOPO SYRACVSANO, REGIOQ. CONSILIARIO


[illegible]





CATANAE [illegible] ILLVSTRISSIMI SENATVS

[illegible]



IN NOMINE

SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

NOS DON IOANNES ANTONIVS CAPIBLANCVS *Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Syracusanus, Regiusq; Consiliarius ad Dei Omnipotentis, & Illibatæ Virginis Mariæ, & Sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris, Patronæ nostræ gloriam: ad morum reformationem, ad Ecclesiasticæ disciplinæ confirmationem; ad Diuini cultus honorem, & incrementum, hæc omnia in hac prima nostra Synodo obseruanda, sancimus, & mandamus.*

ILL. ET REVER. DOM. V. I. D.

D. IO. ANTONIVS CAPIBLANCVS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS gratia Episcopus Syracusanus, Regiusq; Consiliarius.

suo vniuerso Clero Salutem.

VBI in Episcoporum adsciti numerum Syracusas appulimus, Filij Dilectissimi, nil habuimus antiquius, quam nos Ouium nostrarũ saluti deuouere. Compertum namq; nobis, vel ab ineunte fuerat ætate, Pastorem non sibi, sed Gregi natum suo. Quoniam verò, vt sapientissimè Isidorus loquitur Pelusiota, Episcopum inuisibilium, & occultarum ferarum impetus, Ecclesiæ ignauias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillorum egestates, Altaris suspiciones, Diaconorum morbos, Iuuenum flagitia, senum mala consilia speculari oportet; atq; omni ex parte oculum esse

omnia prospicientē, nec quidquam negligentem ; Diœcesim, quæ per annum vndeuigesimum sui Pastoris caruerat aspectu, oculis lustrare nostris ; firmum inhæsit animo consilium ; vt exploratis subiectorum ingenijs, si quid reperissemus infirmum, confirmaremus ; si quid integrum, conseruaremus ; si quid lapsum, erigeremus ; si quid labefactatum, restauraremus ; si quid perditum, disquireremus ; & quod à recto tramite oberraret, in viam salutis reuocaremus. Qua in re quantum exantlauerimus laboris, vt quietem noster vobis labor parturiret : quot difficultates exhauserimus, vt nostris Ouibus secura tranquillitas constaret : quantis nos negotijs implicuerimus, vt nostrum negotium vestrum otium custodiret : quot nos seuerissime distētos tenuerint curæ, vt omnes à vobis sollicitudines amouerentur ; vos ipsi testes esse potestis locupletes. Asperrimis temporibus, vt nostræ Iurisdictionis Diœcesim obiremus, pedibus iter sumus ingressi (quod equidem pedestri confecissemus itinere, ni corporis vires, & medicorum consilia à proposito, iniecta religione, reuocassent) nostris manibus Cœlesti ferculo nostras Oues pauimus, populis Sacramenta exhibuimus ; summis in laboribus solidos dies insumpsimus, vt cuiuslibet animus sacro Chrismate roboraretur : Sæpissimè ijsdem nos sol occumbens distentos occu-

pationibus reliquit, quibus oriens nos inuenerat occupatos; vllis denique sudoribus non pepercimus, vt ægros solaremur, subiectorum ingenia discuteremus, & opportuna cuilibet morbo remedia adhiberemus. Lustrata igitur diligentissimè Diœcesi operepretium nos facturos duximus, si necessarias conderemus sanctiones, extra quas vel paululum declinare absonum esset nimis; quod etiam libentius sumus exequuti, vt animi labes, quas eloquentissimus Antiochenæ Præsul Ecclesiæ subricendo, denunciat; deuitaremus (Is, inquit, cui Ecclesiæ Principatus est creditus, quique dignitate Episcopatus ornatus est, nisi populo, quæ agenda sunt dictet, non erit innoxius) quod non absurdè, sed scitè nimis proletum est, Lex enim, vt elegantissimè disserit Dio Pruseus (est Dux vitæ, & Ciuitatum præfectus communis, negotiorumque iusta regula; tanto autem Ciuitatibus lex est vtilior, quam mænia; quod absque mænibus multæ ciuitates perdurant, absque lege autem nulla Ciuitas potest habitari. Etenim in Monosticis Poeta præcinuit trocaicis:

A feris non discrepant homines soluti legibus.


Causam itaque, qua vos conuocauerimus, estis subodorati; quin imò vestris iam ingenijs estis assequti

ſequti. Eas igitur feremus leges, quas adhibito ſapientiſſimorum hominum conſilio conſtituimus, & ad Eccleſiaſticam fouendam diſciplinam arbitrati ſumus opportunas. Verùm, antequam noſtræ promulgentur Conſtitutiones, vos enixè obteſtatos volo, vt eas extentis animi neruis, Sanctè, religioſeque ſeruetis; veſtris in manibus ſita eſt legum cuſtodia; veſtris omnes peramant inhærere veſtigijs: veſtris moribus ſuos populi conformare mores æmulantur. Nè tamen illud, ad quod acutiſſimum Tertulliani expauit ingenium, enaſcatur (Certi, inquit, indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi) omnium in ore profitemur, noſtras æquo nos non paſſuros animo conteri, & diffringi ſanctiones; neceſsè eſt, aſſerit Gregorius, vt Prælatus & benè agentibus ſit per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum Iuſtitiæ erectus; quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cum delinquentium culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat. Quos igitur nos hucuſque temporis amicè, vt patrem decuit, & mixta quadam cum lenitate obiurgauimus acrimonia: ſi noſtris nunc proteruè vocibus obſurduerint: pęnas ab illis repetemus acerbiſſimas; & quoniam nos amātiſſimum noluere Patrem, Iudicem experientur ſeueriſſimum; nec

vlla spes cuiquam arrideat, aut sublandiatur, fore, vt nos blanditiæ mulceant, munera deliniant, deprecationes inflectant; nulla namque, quamuis efficiosissima, nostrum à proposito dimouebunt animũ obsequia: ne illud Ambrosij maximo cum Ecclesiæ damno, & nostræ salutis iactura comprobetur: facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Valete.

DE

DE SYNODO DIOECESANA.



CVM illud nostro insederit animo desiderium, vt ea, quæ sanctissimè à Synodo Tridentina decreta fuere, summa cum Religione seruentur; nostram singulis annis Synodum cogere, & conuocare statuimus: In eam tamen eos volumus conuenire, qui legibus diœcesanis nostrę subiacent potestati; vel, qui longo præscripta tempore consuetudine id iuris habuerint. Si qui verò legitimo detinebuntur impedimento, nos ocyssimè admoneant, vt ipsorum absentia ab omni fraudis suspicione purgetur. Et, ne ambitione vllus suboriatur rumor, in subsellijs eo quisque sedebit ordine, quem sua cuiusque dignitas postulabit. Si quid autem euenerit, quod alicuius pungat animum, tumultus non excitet: sed vel calamo exaratas, vel voce inustas sibi promat iniurias, vt pacatius illius honori consulamus.

DE FIDE CATHOLICA, ET EIVS professione.

CAPVT PRIMVM.

VT pulcherrimi moles ædificij ad terram corruit, si malè solidis fuerit suffulta fundamentis: sic Christianæ virtutis structura nunquã erecta stabit, nisi fide Catholica sustentetur: Idcirco summo cauendũ est studio, ne quid vnquam capiat detrimenti. Nos itaque sapientissimis Tridentini Concilij obsequentes mandatis præcipimus, vt omnes beneficijs instructi, quibus animarum cura est adnexa, vix duobus elapsis à die possessionis mensibus, fidei capita profiteri teneantur, vel in nostris, vel nostri Generalis Vicarij manibus, iuxta formam à Pio IV. felic. Record. institutam. Ad eam itidem professionem peragendam coram Episcopo, & Capitulo obstringimus omnes Canonicos, aut alia dignitate in Ecclesia nostra cathedrali insignitos. Ad quam etiam teneri volumus tùm qui nostræ interesse synodo nequiuere, tùm qui à nostro absoluto Concilio beneficia Curata adepti fuerint; atque alij, qui de iure tenentur. Si quis autem hæc omnia exequi renuerit, pœnas à dicto Concilio iniunctas ab illo repetemus. At ne vllus possit esse incertitudini locus, omnium nomina noster Cancellarius in certo li-

bro exarabit apposito die, & anno.

TENOR PROFESSIONIS FIDEI.

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem Cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, & in vnum Dominū nostrum Iesum Christum filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine; Deum Verum de Deo Vero; Genitum, non factum, consubstantialē Patri, per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catho-

licam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnũ Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè amplector, & admitto. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarũ, admitto: nec eã vnquã, nisi secundum vnanimẽ cõsensum Patrum, accipiam, & interpetrabor. Profiteor quoq; septem esse verè, & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo D. N. instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesię Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Synodo Tridẽtina definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum,

proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem vnà cum Anima, & Diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique Conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiã, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas, firmissimè assero; imagines Christi, & Deiparę semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictã fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac

iuro.

iuro. Cætera etiam omnia à sacris Canonibus, & Aecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram, Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor; & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri: atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari (quantum in me erit) curaturum: Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro; Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

CAPVT SECVNDVM.

AD eandem fidei professionem emittendam adstringimus omnes ludimagistros, per nos prius examinatos, & approbatos; qui siue priuatim, siue publicè quibuscumque scientijs, & artibus liberalibus iuuentutis erudiendæ munus aggrediuntur, & exercent; etiam si puerorum animos primis grammaticæ rudimentis imbuant.

Quod

Quod si nostris non fuerint dictis obsequti; duarum vnciarum pœnas luent. Fidem similiter profiteri debent quicumque, siue sæculares siue Regulares, qui Concionatoris munus habent, & populos verbi Dei pabulo nutriunt.

CAPUT TERTIUM.

VT Leonis X. Constitutio illæsa perduret; preceptores pueros, vel adolescentes grãmatica, vel humanioribus litteris instruentes omni diligentia conentur, in illorum animos pietatis semina iacere, vt à pueritia, & ab adolescentia, diuinis rebus assuescãt. Sæpissimè illos hortentur, vt diebus festis deuotè semper intersint sacro; Fidei orthodoxæ capita condiscant, scelera maximè aduersentur; ideoque illos explanent libros, qui vnà cum eruditione pietatem sapiunt; & ijs, qui Clericorum militię nomen dedere, Tridentini decreta Concilij, & Catechismum Romanum interpretentur, aliosq; necessarios declarẽt auctores.

CAPVT QVARTVM.

NE vllus pateat aditus, quo fidei Catholicæ fides labefactetur: omnes Vicarij, Archipresbyteri, Beneficiarij, ijque, qui nostræ interfuere Synodo, summa diligentia, ac disquisitione perquirant, an quisquam in hæresim, vel Apostasiam sit prolapsus: an sermones quis habuerit, qui hæresim oleant; quod in his maximoperè inquirendum est, qui perpetuò, ac lucri gratia vagantur per diuersa oppida; vt, si quid (quod Deus auertat) repererint, nisi nos illicò admonuerint, excommunicatione se affectos intelligant; Cæteri verò, qui aliquem de fide, hæresi, Apostasia suspectum agnouerint, si id statim nobis non denunciauerint, eandem pœnam incurrant, & à Confessarijs minimè absoluantur.

CAPVT QVINTVM

CVrandum similiter est Parochis, nè Aegyptij (quos vulgò, Zingari, vocitamus) sortilegia, & diuinationes per manuum inspectiones exerceãt: nam facilè his artibus simpliciores animi in errores magno fidei detrimento inducuntur. Quocircà, si qua in re culpæ viderint obnoxios:

si

si statutis ab Ecclesia temporibus, minimè sacramenta susceperit, ad nostram Episcopalem Curiam referant, vt in illis plectendis Apostolicæ Constitutiones seruentur.

CAPVT SEXTVM.

NVllus sæcularium, præsertim mulieres, non modò publicè, sed nec etiam priuatim de rebus ad fidem catholicam spectantibus sermones habeat; sed humiliter sapientissimo Ecclesiæ Romanæ iudicio acquiescat. Dominos itidèm temporales obnixè hortamur, eorumque ministros, ne se in fidei causis immisceant, & intrudant; sed nostræ Curiæ semper, in quibus opus fuerit rebus, fauere studeant. Si secus agere præsumpserint, vt hæreticorum fautores habebuntur, & pœna à sacris indicta Canonibus punientur.

CAPVT SEPTIMVM.

ECclesiarum Rectores à nullo sæcularium, siue etiã Regularium, in suis Ecclesijs Conciones haberi patiantur, nisi priùs facultatem à Nobis, vel à nostro Generali Vicario impertitam in scriptis ostenderint. Qua in re si desides, &

pigri fuerint, & officij priuationem incurrent; & per annum carceribus mancipati desidiæ pœnas luent. Qui verò prædicauerit sine licentia, pœnas à sacris Canonibus inflictas incurrat. Excipimus verò, qui de licentiâ Parochi in alicuius Ecclesiç festiuitate, vnam concionem habuerit; recognita prius per Parochum, & Vicarium approbatione à nobis Concionatori facta ad Verbum Dei prædicandum.

CAPVT OCTAVVM.

VT omnis peccandi præcidatur occasio, omnibus, & præcipuè mulieribus, præcipimus, & mandamus; ne super infirmos, aut mala valetudine laborantes, preces effundant; nisi à nobis, vel à nostro Vicario Generali, fuerint approbatæ. Quæ verò approbationem obtinuere, orationes recitare non audeant; nisi alto vocis sono, qui possit ab adstãtibus percipi; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

CAPVT NONVM.

NEmo ad exorcizandos eos, qui à Dęmone vexantur, accedat, si talem in scriptis authoritatem à nobis, vel à nostro Vicario Generali,

li, non obtinuerit: id verò muneris omnes non alijs in locis, sed in Ecclesijs tantùm sacramentalibus præstabunt; verbisque, & precibus à Sancta Ecclesia stabilitis, iuxtà Romanum Rituale Pauli V. vltimò editum, vtentur.

DE ABVTENTIBVS SACRA *Scriptura.*

IMpijssimam illorum temeritatē detestamur, qui sacræ Scripturæ verba & sententias profanis inreuerenter admiscent, vel illis ad iocum, assentationem, contumelias, & superstitionem abutuntur. Sciant igitur nos in omnes, qui id facere ausi fuerint, supplicia à sacris præscripta Decretis, illaturos.

DE REPRAESENTANTIBVS *Sacrorum Actiones.*

PRæcipimus, ne vnquam, siue in sacris, siue profanis locis, Martyrum actiones, sacræ Scripturæ historiæ, Christi Domini cruciatus, & passiones, ex scæna, aut aliquo quouis modo repræsententur; etiamsi à nostris prædecessoribus habuerint facultatem, quam irritam facimus, & reuocamus. Si verò ad excitandam populorum

deuotionem, rectum videbitur has peragere functiones, id quiſquam non audeat, quin priùs nobis expoſuerit. Qui id efficere neglexerint, qui interfuerint,|& qui eas recitare mandauerint, pœnas noſtro infligendas arbitrio ſubibunt. Sacris verò initiati, ſi in profanis ſe exercuerint ſcænis, vncias viginti; ſi in minoribus decem ſoluent.

DE BLASPHEMATORIBVS.

VT deteſtabilis blaſphemandi ab hac Vrbe, & noſtra Diœceſi radicitùs euellatur impietas; quicunque Deum Optimum Maximum, vel Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel Virginem Matrem, conuicio, aut maledictis fuerit inſectatus, & pœnis in Bulla Pij V. & aliorum Pontificum contentis, & ergaſtulis, alijſque pœnarum generibus, noſtro arbitrio deputandis, pro ſceleris magnitudine, mulctabitur. Qui verò huic ſceleri aſſuetus videbitur, de hæreſi ſuſpectus habendus eſt. Et laicus pro prima vice vncias ſoluet viginti quinque; pro ſecunda, duplicatas; pro tertia centum, & ignominia notatus exulabit. Si plebeius ille fuerit, vinctis poſt tergum manibus, antè fores Eccleſiæ per diem integrum, & ſolidum, conſtituetur; ſecunda

vice per Vrbem raptatus fuste cædetur, & flagellis; tertia, lingua confossus ad triremes regias relegabitur. Verùm si extiterint Clerici, & potiti sint beneficijs, prima vice fructibus vnius anni carebunt; pro secunda ipsis spoliabuntur beneficijs; pro tertia, officio depositi in exilium emandabuntur. At si nulla possederint beneficia, primò supplicijs, nostro deligendis arbitrio, plectentur; secundò carceribus mancipabuntur; tertiò amoti ab albo clericorum ad remos admouebuntur. Reliquos autem, qui Sanctos impijs verbis violauerint, iuxtà personæ dignitatem, & Blasphemiæ magnitudinem, nostro puniemus arbitrio.

DE SVPERSTITIONIBVS, ET Sortilegijs.

PArochi in sermonibus, quos habere sæpiùs ad plebem debent, illam omni studio, & diligentia adhortentur, vt sortilegia, diuinationes, maleficia, Incantationes, cæterasque, canepeiùs, & angue, fugiant superstitiones; nam talium rerum exercitium de hæresi suspectum reddit; & vt omnes falsitatis redarguant, sæpissimè ad casus descendant particulares: Verbi gratia de ijs, quæ festo Sancti Ioannis Baptistæ fiunt;

fuunt; & si secus agere præsumpserint, fustuarium subibunt, & à Confessarijs minimè absoluti dimittentur; nisi id sceleris anteà reuelarint, vel nobis, vel nostro Generali Vicario in Vrbe, extrà Vrbem nostris Vicarijs foraneis, quibus onus incumbit, vt nos infrà mensem faciant certiores.

DE LIBRIS PROHIBITIS.

VEtitos ab Ecclesiâ libros,& per Pontificum Constitutiones reprobatos, nullus legere, aut domi detinere præsumat, & si penès aliquem libri falsum dogma, aut hæresim continentes reperientur, vt excommunicatus vitandus erit, & de hęresi suspectus habendus. Qui id sciuerint, ad nos referre tenentur. Qui verò libros, aliam ob causam ab Ecclesia damnatos, legerint, aut detinuerint, pœnis, & quidem seuerissimis, nostro designandis iudicio, subiacebunt.

DE ASTROLOGIA.

OMnes, qui Astrologiæ iudiciariæ scientiâ alijs in rebus, quàm in agrorum cultu, nauigatione, & re medica vtentur, tanquam hæreticæ prauitatis reos damnamus, & excommuni-

catione

catione deuincimus, alijsque pœnis tùm à sacris Canonibus impositis, tùm à nobis imponendis, subiectos volumus, iuxtà Sixti V. & Vrbani VIII. Constitutiones.

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI, Sacræ Scripturæ & Casuum lectione.

CAPVT I.

CVm nostram, pro pastorali cura, qua fungimur, Cathedralem Visitauerimus, nullamque Theologalem inuenerimus Præbendam; ideò omni studio quamprimùm curabimus beneficia aliqua simul aggregare, vt talis præbenda constituatur, & Tridentini Concilij Decreta semper illæsa perdurent.

CAPVT II.

QVantùm Christianę reipublicę emolumenti Verbi Dei afferat Prædicatio, luce clariùs compertum est; quapropter omnes Archipresbyteri, Parochi, omnesque animarum curam habentes, diebus saltem Dominicis per se plebem sibi commissam, verbis nutriant salutaribus; eaque illam edoceant, quæ ad æternam beatitudinem assequendam, vel necessaria sunt, vel conducunt. Si verò contigerit aliquo illos deti-

neri impedimento, viros ad id muneris obeũdum, hortamur, assumant idoneos. Et quia facillimè in errores noster labitur intellectus; idcircò omnes Sacerdotes, & Clerici sacris initiati, & qui minores ordines habent, cursu Grammaticæ expleto, intersint lectionibus, vbi casuum lectio à Regularibus habetur: in ijs tamen Vrbibus, quæ hoc carent adiutorio, semel in hebdomada in matricibus, aut alio commodiori loco, casus conscientiæ à viris nostro deputatis iudicio perlegantur. Qui huic præcepto obtemperare noluerint, si in sacris sunt constituti, suspensionis pœnam subibunt: si in minoribus, amissionem fructuum à gabellis, aut alio quouis vectigali incurrant; non tamen in Theologiæ scientia doctoratos, laurea insignitos, aut iurisperitia spectatissimos, hoc inclusos præcepto volumus, aut intelligimus.

CAPVT III.

SVmma animaduertant diligentia Parochi, & Archipresbyteri, ne vnquàm concionatores tàm sæculares, quàm Regulares, in eorum Ecclesijs verba ad populos faciant, nisi nostram priùs benedictionem, & facultatem (quæ gratis scripta dabitur) obtinuerint: similiter Regula-

res

lares Verbum Dei in suorum Ordinum Templis, absque memorata non prædicent benedictione, secus pœnis in Decreto Gregorij XV. se sciant esse subiectos.

CAPVT IV.

Concionatores stultiloquia, & profana verba in concionibus fugiant; in prædicatione veluti histriones, repræsentationes non admisceant: pauperes in specie nunquam, sed tantùm in genere auditorum pietati commendent. Indulgentias absque nostra licentia non euulgent: magna cum cautela, & prudenti discretione vitia insectentur, & scelera. Diù sermones non noctù, nisi de nostra licentia, habeant. Vitam, & mores ita compositos habere studeant, vt verba moribus correspondeant, & quod ore suadent, efficaciùs probent exemplo. Si verò indignam tanto munere quis vitam duxerit, aut hæreses, errores, vel scandala disseminarit; Vicarij Foranei, Parochi statim nos per literas moneant. In templis Monialium nullus vnquam, nisi nostram, vel nostri Vicarij Generalis adeptus fuerit facultatem, & quidem ad hoc specialem, conciones habeat, sub pœna carceris ad nostrum libitum, & arbitrium.

C A P V T V.

QVoniam sæpissimè id, quod ad animarum salutem facit, in ipsarum vertitur, hominum vitio, perniciem; ne in vacuum Verbi Dei semen cadat, mandamus; vt tempore, quo fit concio, mulieres loco sedeant ab hominibus separato, & vt mutuus impediatur aspectus, tela interponatur. Hortamur itidem, vt semotis negotiorum curis, Christi fideles ad audiendas conciones frequenter accedant.

C A P V T VI.

VT nulla prætexatur à quoquam ignorantia; Parochus, simul ac Concionator deputatus aduenerit, illum adeat; certiorem de nostrę Synodi Constitutionibus faciat; præcipua vitiorum genera, & morbos, qui in suas oues grassantur, explanet, vt faciliùs, & maiore cum fructu inuehatur in scelera, sub pœna vnciarum decem.

DE DOCTRINA CHRISTIANA

CAPUT I.

ALiquo post prandium elapso tempore, omnibus Dominicis diebus ære campano signum detur, quo ad Ecclesiam pueri conuocentur: quibus conuocatis, Parochi sub pœna excõmunicationis, Doctrinæ rudimenta declarent: ipsis autem impeditis, ne id munus omittatur, viros aptos substituant; quin ne tàm salutaris exercitatio temporis decursu, & Parochorum socordia deleatur, mãdamus Parochis, vt absoluta Festorum renunciatione, parentibus iniungant; vt filios ad tam salutaria ediscenda præcepta, sedulò mittant, exponantque, quàm vtile sit, & quantum commodi proficiscatur, si à teneris annis, & ipso penè ineuntis ætatis exordio, rebus se spiritualibus pueri deuoueant.

CAPVT II.

VT faciliùs pueri disciplinarum studijs, & Fidei Christianæ præceptis imbuantur, omnes Diœcesis nostræ Vniuersitates, & populos obsecramus, & adhortamur, vt præceptores

res doctrina, & morum probitate florentes seligant, eorumque labores iusta mercede compensent, ne in magistris, ob penuriam, & inopiam, edocendi studium refrigescat, & pueris, in literis, & pietate, proficiendi subtrahatur opportunitas.

DE RELIQVIIS, ET SACRIS

Imaginibus, nec non nouis Miraculis.

C A P V T I.

NVllo liceat in loco, nec vllo, quamuis exẽpto, Templo, nouas Imagines affigere, ac noua exponere miracula; nisi ea nos antea recognouerimus. Nec item nouas, nec antiquas sine authentica quis audeat exponere Reliquias absque nostra licentia, sub pœna excõmunicationis, ipso facto. Reliquiæ tamen à nobis recognitæ, honesto debent apponi loco, qui serico sit intrinsecùs exornatus. Poterit & inscriptio foris affigi, vt debitus ab intuentibus præbeatur cultus: accensa reniteat lampas, ferreis muniatur feris, & fidelibus claues tradendæ sunt custodibus. Si quæ autem publico expositæ fuere adorandæ cultu, domi retinere, aut alias in partes extrà Ecclesias asportare, omnibus veti-

tum, sub pœna excommunicationis, & quatuor vnciarum in subsidium: quod tùm ad sęculares, tùm ad Regulares extendi volumus.

CAPVT II.

SAnctorum Reliquiæ in altaribus, vel Templi parietibus infixæ, de loco ad locum traduci, nostra sine facultate non possint: sicut etiam, nec monumenta reserari, vt hominum curiositati fiat satis: argenteis autem, vel inauratis inclusæ thecis, tantummodò diebus solemnioribus, super altari exponi debent; nec quisquam, vel minimum ex illis frustulum elargiri, aut sibi arripere, sub pœna excommunicationis ipso facto, audeat.

Cum autem ad populorum deuotionē enutriendam exponuntur, vt decens illis adhibeatur honor, duo saltem cerea præniteant lumina, & clericus linea circumuestitus tunica, ad custodiam assistat: & nullo modo in sacro tentorio (quod communiter dicimus Tabernaculum) asseruentur: secùs excommunicatione latæ sententiæ deuincientur.

CAPVT III.

IN supplicationibus ab Ecclesia fieri statutis, & præsertim Sanctissimi Sacramenti, & quando exponi in quadraginta horarum oratione Eucharistia contigerit, Sanctorum Reliquiæ nec deferantur, nec exponantur, sub pœna Excommunicationis.

CAPVT IV.

Argenteæ figuræ, vel cereæ, tabellæ votiuæ, vel alia cuiuscumque generis signa in suscepti voti gratiam sacris Imaginibus oblata, loco ipsis vicino affigi debeant; nec absque nostra licentia inde possint extrahi, aut auelli sub pœna vnciarum decem. Sacris verò Imaginibus, ea forma, is habitus, & effigies, ijque colores inducendi sunt, quos ab antiquo consueuit Sancta Mater Ecclesia, & prout sua in Bulla Vrbanus Papa VIII. decreuit.

CONSTITVTIO CIRCA FORMAM, & habitum Sacrarum Imaginum.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcrosancta Tridentina Synodus optimè agnoscens scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut præposterè accommodatum, vel profanum in Ecclesijs appareat, statuit nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiã quomodolibet exempta, vllam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit. Cum autem, sicut accepimus, ex prędicti Decreti inobseruantia varij abusus irrepserint; idcircò Nos abusus huiusmodi tollere, pro debito Pastoralis officij nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus præpositis communicata, & maturè considerata, & discussa, inhęrendo dictæ dispositioni Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, Motu proprio, & ex certa sciẽtia, nostræ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Ecclesiasticæ, etiam indiuidua,

ac ſpeciali expreſſione dignæ exiſtat: Imagines Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quarumcunque ſculpere, aut pingere, vel ſculpi aut pingi facere, aut antehac ſculptas, aut pictas, & aliàs quomodolibet affixas tenere, ſeu publico aſpectui exponere, aut veſtire cũ alio habitu, & forma, quàm in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit; nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis regularis, tenore præſentium prohibemus: Ac vt imagines aliter pictæ, vel ſculptæ ab Eccleſijs, & alijs locis cuiuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam; vt veneratio, & cultus ſic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium obijciuntur, non inordinata, nec inſolita appareant, ſed deuotionem pariant, & pietatem; & ne exponantur in Eccleſijs quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontiſpitijs, & atrijs Imagines profanæ, vel aliàs indecentiam, & inhoneſtatem præferentes, cum domum Dei deceat Sanctitudo, præcipimus.

Quò circà quibuſcunque Venerabilibus fra-

tribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis,& alijs locorum ordinarijs, ac nostris, & Apostolicæ Sedis Nuncijs, & legatis,etiam de latere sub obtestatione Diuini Iudicij mãdamus, vt prædictam inuiolabiliter,& exactè obseruent; Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & maiorum, ac Vniuersitatibus, etiam studiorum, Monasterijs, ac Collegijs, & personis quibuscumque, etiam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus cuiuscũque, Ordinis,etiam Cisterciẽsis,Instituti,Congregationis, & Societatis, etiam Iesu, etiam Militaribus, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliarumq; Militiarum, & cæteris quibuscumque quomodolibet qualificatis,ac eadem indiuidua expressione, & speciali nota dignis, ac Monialibus, etiã Regularium Gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicæ immediatè suppositis, vt in eorum Ecclesijs, & locis, omnia, & singula præmissa obseruent, & faciant. Quatenùs verò, ipsi præsertim Regulares, ac Moniales,pręsentibus litteris,ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij, & Legati Apostolici de latere missi tamquàm in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati contrà omnes, & singulos

 gulos

gulos prædictos, & quoſcumque alios quomodolibet inobedientes, & tranſgreſſores procedere, & quacumque appellatione, recurſu, reclamatione, alijsque Iuris, & facti remedijs ordinarijs, & extraordinarijs penitus, omninò remotis ad omnimodam obſeruantiam illos præuia vnica monitione cenſuris Eccleſiaſticis, & alijs eorum arbitrio, & præſertim quo ad loci Superiores etiam priuationis officij, & vocis actiuę, & paſſiuę pœnis compellere; præſentes quoque litteras, & in eis contenta quæcumque nullo vnquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio etiam quantumuis ſubſtantiali defectu notari, impugnari, vel redargui poſſe; ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inuiolabiter obſeruari; ſicque, & non aliter in prçmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiã de latere Legatos nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, ſeu interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam

qua-

quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus. Non obstantibus Felic. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem etiam personarum, atque Ordinum quorumcumque, etiam Cistercien. ac tam Mendicantium, quàm nō Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam IESV, ac cuiuslis alterius Instituti, etiam necessariò, & indiuiduè exprimendi, Monasteriorū, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque, tam Sęcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoq; indultis, & priuilegijs, etiā in corpore iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhabilitationibus, quibus Episcopi, & alij Ordinarij, & superiores prædicti deferre minimè teneantur, & quibuluis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam

derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extentionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores pręsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis haben., illis aliàs in suo robbore permansuris, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, vt præsentes litteræ, seu illarum exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum vrbis, ac in acie Campi Floræ affixæ omnes perinde arctent, atque afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent: quodque præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate

Ec-

Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Rom. apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martij 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimo nono.

M. A. Maraldus,

DE OBSERVATIONE FESTORVM.

CAPVT I.

Dies festos debito venerari debent honore fideles, ideoque præcipimus, vt omnes à seruilibus abstineant operibus, causas non agitent, processus non cudant, sententias non proferant, ius non dicant, publico se non obstringant iuramento, omnis denique Iudiciorum rumor taceat, & conquiescat. Commessationes, Ebrietates aufugiant, peccatorum labe se violare quisquam abhorreat; sacro, Vesperis, cæterisque diuinis interuenire studeant actionibus, sacras effundant Preces, conciones attentis excipiant auribus; sanctis postremò se exerceant operationibus, vt totus in Dei Optimi Maximi honorem currat insumptus dies.

CA-

CAPVT II.

OMni seueritate præcipimus, nè magistratus quacumque dignitate fulgentes, neque eorum temporales ministri, diebus Dominicis, & festis quemquam ob ciuilem causam capere, aut in carceres conijcere præsumant; illos enim nullus quæsitus color, aut prætextus ab excommunicatione ipso facto incurrenda eximet: à qua excommunicatione à nullo possint absolui, antequam captus, aut vinctus, in pristinam fuerit redactus libertatem. Satellites (quos, sbirri, vulgus appellat) qui id ausi fuerint, vncias soluẽt quatuor in Excommunicationis subsidium.

CAPVT III.


INuigilent Parochi, vt profestis diebus omnes sibi subiecti fideles à choreis, tripudijs, compotationibus se temperent, ne à Dei cultu auocentur: præcipuè cum Diuina celebrantur misteria. Festorum autem obseruantia à noctis præcedentis medietatè ad noctis subsequẽtis medium perdurat, quod tam incolis, quàm exteris in nostra Diœcesi commorantibus est custodiendum. In his, vt suprà dictum est, ab omni sequisque cohibeat seruili opere, cuius nomine

illud

illud intelligimus, quod communis vniuersim introduxit obseruantia.

CAPVT IV.

SI quando in Ecclesiarum festiuitates publicæ cadent Nundinæ, ex immemorabili consuetudine licitum licet sit, vt iumentorum vectores sarcinas, & merca comportent, iterque, iam inchoatum, sacro tamen prius audito, continuent: sed de nouo illas construere, aut alios adiuuare nemini concessum, nisi prius licentiam obtinuerit, vel datum in Vrbe cathedralis campanæ, in Diœcesi Matricis signum fuerit: secus in omnes illæ irrogabuntur pœnæ, quæ sunt in constitutionibus publicandæ. Et, ne cui excusationem comparet ignorantia, diebus Dominicis Parochi inter Missarum Solemnia dies festos, & Ieiunia, quæ in hebdomadam venientem incidunt, prædicant, aut denunciari faciant; quo ab illicitis populi se contineant operibus, & Ieiunia religiosè custodiant: &, vt id faciliùs assequamur, publica festorum in Ecclesijs præfigatur tabella.



CAPVT V.

RErum omnium, ijs tantùm, quæ ad vitæ ſubſtentationem conducunt, exceptis, venditionem, & emptionem feſtis diebus interdicimus; ſi quæ alia fuerint commercia, quæ hac prohibitione claudi volumus, in conſtitutionibus, quas ſub huius Synodi finem edemus, declarabuntur.

CAPVT VI.

LAici feſtiuis diebus, & de præcepto alea, taxillis, alijſque à iure vetitis non ludant ludis; præſertim in locis, vbi conſpici poſſunt, nec eo tempore, in quo habetur concio; quod Præceptum ad Chriſti Domini patientis venerationem extenſum volumus ad Veneris Dies, qui in Menſe Martio currunt, & ad ſacram maiorem Paſſionis heddomadam; Non enim decorū eſt, vt quando mœſta lacrymas fundit Eccleſia, ioco filij rideant, & lætentur. Oppoſitum facientes, pœnam excomunicationis latæ ſententiæ incurrant.

CAPVT VII.

NE festorum possit à quoquam ignorantia prætendi, ea, quæ summa religione in Vrbe,& nostra Diœcesi obseruanda decreuimus, sequens indicabit tabella.

Omnes dies Dominici.

Pascha Resurrectionis Dñi N. I. Christi, cum duobus diebus sequentibus.

Ascensio Christi Domini.

Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.

Festum Sanctissimi Corporis Christi, & dies octaua in Vrbe tantùm.

MENSE IANVARII.

1. Circumcisio Dñi N. I. Christi.
6. Epiphania Domini.

MENSE FEBRVARII.

2. Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
24. S. Matthias Apostolus.

MENSE MARTII.

19. S. Iosepħ.
25. Annunciatio B. Mariæ Virginis.

MENSE MAII.

1. SS. Philippus, & Iacobus Apostoli.
3. Inuentio Sanctæ Crucis.

MENSE IVNII.

14. S. Martianus primus Syracusarum Episcopus, per Vrbem tantum.
24. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29. SS. Petrus, & Paulus Apostoli.

MENSE IVLII.

25. S. Iacobus Apostolus.
26. S. Anna.

MENSE AVGVSTI.

10. S. Laurentius Martyr.
15. Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
24. S. Bartholomæus Apostolus.

MENSE SEPTEMBRIS

8. Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis.
21. S. Matthęus Apostolus, & Euangelista.
29. S. Michael Archangelus.

MENSE OCTOBRIS.

28. SS. Simon, & Iudas Apostoli.

MEN-

MENSE NOVEMBRIS.

1. Festum omnium Sanctorum.
30. S. Andreas Apostolus.

MENSE DECEMBRIS.

8. Conceptio B. MARIAE Virginis, Totius Regni Patronæ.

13. S. Lucia Virgo, & Martyr, Vrbis Patrona, etiam per Diœcesim. Fit officium, & infra octauam commemoratio octauæ per totam octauam Conceptionis, & quod reliquum est, per totum diem 16. Decembris de Sancta Lucia, iuxta Rubricas: &c. ex quo octaua fit de principaliori, scilicet de Conceptione B. M. V.

21. S. Thomas Apostolus.
25. Natiuitas D. N. Iesu Christi.
26. S. Stephanus protomartyr.
27. S. Ioannes Apostolus, & Euangelista.
28. SS. Innocentes.
31. S. Siluester Papa.

Vigilias de præcepto ieiunandas sequens ostendet tabella.

IN MENSE FEBRVARII.

23. Vigilia Sancti Matthiæ Apostoli.

IN MENSE IVNII.

23. Vigilia S. Ioannis Baptistæ.
28. Vigilia SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

IN MENSE IVLII.

24. Vigilia S. Iacobi Apostoli.

IN MENSE AVGVSTI.

9. Vigilia S. Laurentij.
14. Vigilia Assũptionis B. Mariæ Virginis.
23. Vigilia S. Bartholomæi Apostoli.

IN MENSE SEPTEMBRIS.

20 Vigilia S. Matthęi Apostoli.

IN MENSE OCTOBRIS.

27. Vigilia Sanctorum Simonis, & Iudæ Apostolorum.
31. Vigilia Omnium Sanctorum.

IN MENSE DECEMBRIS.

20. Vigilia Sancti Thomæ Apostoli.
24. Vigilia Natiuitatis Dñi N. Iesu Christi.

PRO MOBILIBVS.

Vigilia Pentecostes.

Et quamuis fideles in Vigilijs, quas hic inferiùs describemus, ieiunij legibus non adstringantur: Parochi tamen suis curent adhortationibus, vt ad deuotionis incrementum subditi aut ieiunent, aut ab esu saltem carnium se temperent: Vigiliæ verò hæ sunt:

5. Ianuarij. Vigilia Epiphaniæ.
Vigilia Ascensionis.
Vigilia Sanctissimi Corporis Christi.
12. Decembris, Vigilia Sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris.

In posterum Sanctorum dies festi in alios dies non transferantur, nisi tamen id Apostolico sit cautum diplomate. Nos itidem omnes facultates, vel à nobis, vel à nostris datas, etiam in scriptis, prædecessoribus, reuocamus. Si quando rationabili inducti causa, licentiam concedemus, volumus intelligi, Officij & Missæ facultatem pariter fuisse impertitam.

VRBANVS PAPA VIII.

VNiuersa per orbem nouit Ecclesia Romani Pontificis supremæ incumbere sollicitudini, dominicum gregem ad æternam dirigere salu-

salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, vt fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant fœliciter peruenire.

Plurimorum siquidem Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad Nos peruenit, festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses, atque Prouincias adeò creuisse, deuotione atque consuetudine noua in dies introducente, vt multi iam dubitare videantur, quænam ex præcepto, quæue ex libera cuiusque voluntate sint seruanda, pietatis feruore ob nimiam eorundem numerositatem tepescēte.

Quinimo & clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquerentium: & quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri mærore didicimus, tanta sæpe sæpius malignatum inimicum in sancto, vt ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesijs Deum populi vtantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident; ita vt, quæ ad glorificandum diuinum nomeñ sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, grauemque iacturam conuerterit

ani-

animarum.

Quamobrem dicti Vener. fratres Archiepiscopi, & Episcopi nobis fecerunt humiliter supplicari, vt in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquã iniremus rationẽ.

Nos itaque volentes ex debito pastoralis officij prouidere, & sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque viros, quos ad hæc specialiter deputauimus, consultationibus, vt rei videtur grauitas postulare: Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostri, nec non & de prædictæ Apostolicæ plenitudine potestatis, hac perpetuò valitura cõstitutione, de voto etiam Vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis expræcepto colendos esse, quos nempe, vel ab initio veneranda sacrauit antiquitas, vel vniuersalis Ecclesiæ probauit consuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur. Dominicos scilicet dies totius anni, Natiuitatis D. N. I. C. Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus ferijs, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequenti-

bus

bus ferijs, Sanctiss. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inuentionis S. Crucis, Nec non festiuitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis Deiparæ Virginis; Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis & Iudæ, & S. Matthiæ Christi Domini Apostolorum. Item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentij Martyris, S. Siluestri Papæ, & confessoris, S. Iosephi, etiam confessoris, & S. Annæ Deiparæ respectiuè sponsi, ac genitricis. Solemnitatis omnium Sanctorum, atque vnius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, siue Prouincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Ciuitate, oppido, vel pago, vbi hos patronos haberi, & venerari contigerit.

Ad reliquorum verò dierum obseruantiam, quos hactenus siue in vniuersa Ecclesia, siue in quauis natione, aut Regno, prouincia, diœcesi, aut loco quomodocumque, siue ex præcepto, siue ex consuetudine, siue ex deuotione Christi fideles tanquam festiuos celebrarunt, nequaquã ex præcepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus, & decla-

claramus.

Ne autem dies festos à locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, vt ad Ecclesiasticã vbique seruandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto nouorum festorũ studeant abstinere.

Vt verò ea, quæ superiùs expressa sunt, feruentiori, qua decet, veneratione, ac deuotione colantur: eisdem Ordinarijs antiquorum Canonum obseruantiam ad memoriam reuocamus in concedendis licentijs laborandi diebus festis; quæ quidem licentiæ nõ aliter, quàm ad formam prædictorum Canonum, vt præmittitur, concedendæ, non nisi gratis, liberè, & sine vllo prorsus pretio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, sub pęnis etiã grauioribus nostro successorum quę nostrorum arbitrio infligendis.

Non intendimus tamen per hanc nostram constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, nunc,

& pro tempore existenti nostro in Vrbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, ac vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Prælatis, ac cuiuscumq; generis locorum Ordinarijs, & si Cardinalatus honore fulgeant, vt has præsentes literas, omniaque, & singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respectiue diœcesibus publicent, & ab omnibus eorum subditis ad vnguem obseruari faciant.

Non obstantibus quibusuis Apostolicis, etiam in Prouincialibus, Synodalibus, & vniuersalibus Concilijs editis, & edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac singularum prouinciarum, Ciuitatum, oppidorum, & locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus longissimo tempore præscriptis, & obseruatis, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, decretis, declarationibus, & literis Apostolicis, alijsque gratijs, tam per ipsos Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos etiam motu simili, etiam Consistorialiter, quam per Ordinarios locorum cuiuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, vt præfertur, fulgentes, legatos etiam de latere, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ipsis

sis prouincijs, ciuitatibus, oppidis, & locis, alijsque quibuscumq; etiam quantumuis priuilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, & si aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu, Scientia, & Potestatis plenitudine paribus, harum serie specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

Volumus autem, vt earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, & manu notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique locorum tam in iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginā nostrorum decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XLII. Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo.

CAPVT XIII.

IN Sanctorum, quæ incidunt, solemnijs à saltationibus, tripudijs, & Canticis se coerceant fideles: potius Templa frequentes adeant, in quibus prima noctis elapsa hora immorari, vel ea visere, omnibus interdictum sub pœna excōmunicationis.

DE IEIVNIO.

CAPVT I.

A Vigesimo primo ætatis suæ anno quilibet vtriusque sexus fidelis à feria quarta Cine-

rum

rum ad Sabbatum Sanctum inclusiuè,& quatuor statis anni temporibus, & Sanctorum peruigilijs, stricto suum corpus domet Ieiunio. Diebus autem Dominicis in quadragesima defluentibus à cibis non abstinere licitum est; etiam ijs licet, qui nimio labore, aut nimium prouectæ ætatis imbecillitate, vel aliam ob iustam caussam excusantur: sexta tamen feria, & sabbato à carnibus se quisque temperet; secus, si vlla non vrgente necessitate carnes degustarit, de hæresi suspectus habendus erit.

CAPVT II.

ANnuo quadragesimæ tempore sexta feria, & sabbato, & quatuor anni recurrentibus temporibus, mala laborantes valetudine, paschalibus non vescantur cibis, & edulijs; nisi aut medicorum facultas accesserit, aut Apostolica diplomata id ipsis fuerint elargita:& vetita publicè non vendantur obsonia in Vrbe, si nostra non adfuerit: in Diœcesi, si Parochi, & Vicarij non accesserit facultas: secus vice qualibet duas persoluent vncias; & sub pœnis nostro arbitrio absque medicorum in scriptis licentia carnarij, seu macellarij vendere cuiquam carnes non audeant.

CAPVT III.

TEmpus itidem ad religiosam Ieiunij obseruantiam est attēta mente perpendendum, vt scilicet sub meridiem vna reficiatur corpus comestione; quapropter præpropere ad meridianam Virginis salutationem Campanæ non sunt pulsandæ, ne intempestiuus, & nimium maturus campanarum tinnitus decipiat Ieiunantes. Sacristæ, qui huic Decreto nō obtemperauerint, singulis vicibus, vnius vnciæ pœna plectantur; quod similiter Regularibus obseruandum est.



PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPVT I.

VT nulla in solemni Sacramentorum administratione difformitas emergat, vel dissensio, Ritus ab Ecclesia Catholica traditi omni cura seruandi sunt. Quapropter mandamus, vt Romanum rituale Pauli V. editum iussu religiosè teneatur, & à Parochis obseruetur; vt nos etiam Romanum Ceremoniale diligenti studemus seruare cura.

CAPVT II.

PRætermissis alijs curis, & negotijs, quamuis grauibus, Parochi, & alij ad Sacramenta administrãda statuti, ea properent populis ministrare; nec se vel die, vel nocte à tam necessario opere patiantur retardari: quod eo tempore maiori exhibendum est cura, quando ad id exercendum

opus,

opus, aduocantur. Quinimò promptius, & alacer debet esse Parochus ad suum exequendum munus; vt, siquis eo reperitur in statu, quo Sacramentis eget, faciliori adeat illum animo. Ipse verò ad tempus aptis sermonibus ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscipienda achortetur Sacramenta; de ipsorum virtute differat, gratiam, quam impertiuntur, explanet, vt suum munus ea, qua par est, diligentia adimpleat. Solertem habeat curam fontis Baptismalis, & locorum, in quibus sacrum oleum, & Eucharistiæ sacramentum, asseruantur; claues penes se semper teneat, nec alius sacerdos ab eo, qui facultatem à Parocho habuerit, ad illa quouis modo administranda se ingerat: secus vncias soluet duas, & alias à sacris indictas Canonibus pœnas dabit.

CAPVT III.

OMnibus Parochis præcipimus, alijsque ad Sacramentorum custodiam addictis, vt curam adhibeant omnem, ne in vasis sacris vlla, vel rubigo, vel sordes emergat; idcirco vasa sæpè tergantur; mappæ, & lintea abluantur. Et sacerdos quoties sacrum aliquod contrectauerit, manus diligenter, vel panis medulla, si necessarium fuerit, abstergat; aqua verò ad manuum lotio-

lotionem adhibita in sacrarium est proijcienda.

CAPVT IV.

IN vnoquoq; Parochiali Templo, quinque à Parochis cõstruẽdi sunt libri, in quibus ordine discretis, Baptizatorũ, Confirmatorum, matrimonia contrahentium, & mortuorum nomina referantur, omnibus seruatis formis, quæ in Rituali Romano continentur, sub pœna duarum vnciarum; In quinto omnium, qui in illa Parochia commorantur, distinctè inscribantur nomina; quod in anni cuiuslibet quadragesimali tempore faciendum est. Ipsi autem libri tantũmodò sint penes ipsos Parochos retinendi, quibus fortè vita functis ipsorum hæredes sub pœna excõmunicationis intra dierum octo spatium successori, aut alteri à nobis deputato illos tradere debent.

CAPVT V.

NVllus Parochorum, siue alius ab eo substitutus, quemquam armis indutum ad sacramentorum susceptionem accedere sinat: nec illis Sacramenta præbeant, nisi prius arma deposuerint, sub pœnis nostro arbitrio taxandis.

DE OLEIS SANCTIS.

Caput Vnicum.

CVm aliquem ante Paschæ dies Parochi delegant, vt noua ab Ecclesia Cathedrali assumat olea; caueãt, ne alium mittant Clericum, quàm sacris inauguratum Ordinibus.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPVT I.

BAptismum administrare Parochi proprium est, cui ex officio incumbit. Cum tamen vrget necessitas, non modò Parochis, & in sacris constitutis, sed etiam laicis, & mulieribus illum exercere licitum est. Cauere tamen debent, ne minor, aut inferior præsente superiori, laicus præsente Clerico, mulieres præsente viro id muneris sibi arrogent impudenter.

Baptismus, nisi casus necessitatis adurgeat, non in priuatis domibus, sed in Ecclesijs tantùm baptismalibus, est conferendus. Ideoque Parochi fontem vel ex lapide, vel alia confectum materia à nobis approbata habeant. Lapis fractus esse non debet, nec poris, aut rimis ineptus,

ne aut aquam ebibat, aut effundat, & tantùm ad Baptizandi officium sit stabilitus. Adsit itidem vas ex stanno saltem compactum cum suo cocleari, cum quibus exhibetur. In baptizando curandum est, ne aqua super caput effusa in fontem recurrat, sed potius effluat in sacrarium. Fonti sit pyramis adiuncta, in cuius vertice Crucis signum, vel Sancti Ioannis Baptistæ exurgat imago. Fontis itidem aqua cooperiatur operculo, & clauis penes ipsum Parochum stet. Sacrarium fonti debet esse propinquum, clauibus similiter obseratum. Argentea vascula, quæ sanctum claudunt Oleum, breui in loculo, decenter tamen ornato, & propè fontem ipsum recondantur serico violaceo circumuestito, & claue etiam occluso.

CAPVT II.

NE hoc Sacramentum denuò iterari, & quidem sacrilegè cōtingat; inquirant sedulò Parochi nū fuerit infans aqua lustrali ablutus; quos susceptores elegerint Parētes; &, si Baptismo donatum domi infantem inuenerint, satis erit exorcismos, & reliquas preces adhibere: Si verò aliqua suboritur dubietas, aut suspicio, an rite præstitum hoc fuerit Sacramentum, maximè cū

de obstetricum, & laicorũ imperitia dubium est, de nouo iterari necesse est, apposita conditione, seruatisque formis à Rituali Romano præscriptis. Idem etiam sub eadem conditione fieri debet cum expositis, licèt schedulam de Baptismo iam collato deferant: quod tamen intelligendum est, nisi alia manifestior, hoc verè fuisse collatum sacramentum, coniectura probet.

Aduertant denique Parochi, vt quando aqua effunditur, non tantum super capillos enatet, sed ad cutem, & frontem ita pertingat, vt caro ipsa abluatur.

CAPVT III.

QVando quis vnda est abluẽdus Baptismali, adesse debent, secũdum Romanæ Ecclesiæ cęremonias, qui eum à sacro fonte in filium adoptent. Ad hoc tamen munus non omnes sunt admittendi; Iura enim vetant, ne Regulares, ne excomunicatione illigati, ne interdicti, ne concubinarij, ne quacunque publica notati infamia, ne primorum fidei rudimentorum inscij, ne qui Paschatis præcepto nõ obtemperarint, ne hospites malè cogniti, ne qui annum decimumquartum ætatis non dum attigerunt, filios à fonte sacro suscipere valeant.

sunt: hi enim, cum sui iuris, vel soluendo non sint, fidei sponsores esse nequeunt, & qui permiserint Parochi, vnciarum sex pœnas luent. Sciendum etiam est, tam inter baptizãtem, & compatres eam cum paruulo, & ipsius parentibus cognationẽ è Baptismo proficisci, vt ipsos inter nullũ possit cõtrahi matrimonium: vnde vt abusus, qui in multis vagatur, à nobis exterminetur, districtè prohibemus, ne vllus imposterum compatris nomine eum appellet, qui cum eo nullum ius habuit compaternitatis. Similiter non nisi Sanctorum nomina imponantur infantibus, vt cum adoleuerint, eorum exempla imitẽtur, quorum proferunt nomina.

CAPVT IV.

VT animarum ex huius Sacramenti dilatione prouenienti periculo occurramus; pręcipimus, vt ad summum intra trium dierum intercapedinem, infantes in propria Parochia baptizẽtur: quòd si domi ob necessitatem Baptismali fuerint unda lustrati, eodem non elapso tẽpore, ad Ecclesiam sunt deferendi, vt cęterę preces, & cęremoniæ adhibeantur. Si quid Parocho, vel illius vicem subeunti in baptizando fidelium pietas obtulerit, sumi potest; declaramus item,

cerea

cerea lumina, quæ ad pompam deferuntur, & ornatum, ad Parochos pertinere; quod etiam extendimus ad omnia, quæ pro matrimonij celebratione, siue in Ecclesia, siue domi contracti geruntur, & qui fraude ad Ecclesiam nō detulere, sciant, ius in illa Parochos habere.

CAPVT V.

NEmo ætate prouectos, & adultos vndis expiet baptismalibus, nisi diligens præcesserit examen: an fidei rudimentis sint benè instructi, an doloris actum elicuerint, & nostrā facultatem demonstrauerint: Excipimus tamen imminentis mortis periculum: tunc enim, si hoc sacramentum expetiere, sunt abluendi: &, si vixerint, Christianæ fidei sunt imbuendi præceptis.

CAPVT VI.

AD obstetricis munus exequendum, illæ non admittantur mulieres, quæ perfectè non callent ea, quæ ad huius sacramenti valorem, sunt necessaria: idcircò Parochorum est, illas districtè examinare, an materiam, formam, intentionem, cæteraque norint, quæ ad Baptis-

mi

mi administrationem necessariò requiruntur; Cum eas approbatione dignas repererint, cautas reddant, vt partus tempore vasculum aquæ propè se teneant, quo infanti, si opus fuerit, subitò opitulentur, & tale nunquam aggrediantur opus, si approbationem se penes non deferant: aliter flagellis plectentur.

CAPVT VII.

QVoniam sæpè ex parentum incuria miserrimè suffocantur infantes; sub lethalis culpæ reatu præcipimus, ne parentes, aut nutrices eodem collocent infantes lectulo, quo ipsi, aut alij cubant. Qui contrarium facere non pertimuerint, peccatorum absolutionem à nobis dumtaxat habere possint.

CAPVT VIII.

SVsceptores duorum excedere non debent numerum, & alter vir, altera mulier oporteat, sit. Et parochus de cognatione edoctos reddat, & obstrictos declaret, vt eos, quos suscipiunt, fidei præceptis instituant.

CAPVT IX.

QVoniam sæpe rudiores animi se compaternitatis nomine adinuicem appellant, eò præcisè, quod vitiã abluerint; aduertant sedulò Parochi, nullam ex hoc oriri compaternitatem, & necessitudinem, & talem studeant abusum abolere.

CAPVT X.

LIber, in quo Baptizatorum, & susceptorum inscripta sunt nomina, semper penes Parochos sit: dies, & annus apponatur: & singulis depromatur ãnis exemplar, quod à Parochis cum originali conseruetur, vt deperdito vno, quod sępius accidit, possit alterum comperiri, & hoc sub pœna vnçiarum quatuor.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.
Caput I.

SEcundum Ecclesiæ sacramentum est Chrisma, seu Confirmatio, qua contra Dęmonis insidias, veluti Athletæ roborantur fideles. Huius minister sacramenti solus est Episcopus;

Rei-

reiterari ſine ſacrilegio nequit. Vbi igitur fuerint à nobis de ipſius adminiſtratione Parochi certiores facti, ſtudiosè perquirãt, nũ quis Chriſmate ſit obligandus, & cum tempus aduenerit, ſimul cum Patrinis confirmatis offerantur. Tunc erunt apti pueri ſi ſeptennium attigerint, aut expleuerint, ſi Chriſtianæ fidei documenta didicerint, aut ſi alio publico non fuerint præpediti crimine. Patrini iiſdem, quas in Baptiſmate numerauimus, aſſumendi ſunt conditionibus; eandem enim ſpiritualem contrahunt cognationem: ideoque nec parentes filios, nec vir vxorem, nec vxor virum ſuſcipere poſſunt; & ne pluribus obſtringantur obligationibus, inhibemus, ne quis eodem die plures confirmandos offerat, quam duos, niſi ſit in ſacris conſtitutus. Verum quoniam euenire poteſt, vt nos iuſta aliqua ratione puerum ſeptem minorem annis, & fidei doctrina non imbutum, ſacro inungamus Chriſmate, animaduertant parentes confirmatum admonere, ſibi hoc fuiſſe exhibitum Sacramentum, ne illud fortè ex ignorantia reiteretur. Admonendi ſunt etiam hic Parochi, vt ſi fortè in Baptiſmate cuiquam gentilium nomen fuerit impoſitum; in confirmatione, cum Sanctorum nomine cõmutari procurent.

CAPVT II.

VT debita huic Sacramento veneratio deferatur, perunɛti, ſeu confirmati frons goſſipio à Sacerdotibus abſtergatur, & vndis abluatur: goſſipium incendatur, & vnà cum ablutione in ſacrarium demittatur. Adulti, vel doli capaces, ne huius Sacramenti gratia careant, aut obijcem ponant, illud non adeant, niſi antea peccata Sacramentali confeſſione purgauerint, aut ſi neceſſitas adfuerit, digni ſe contritione reddiderint. Parochi ſæpè inter Miſſarum Solemnia, huius Sacramẽti dignitatem, fructus, efficaciam, qua modeſtia ſuſcipiendum, & alia his ſimilia declarent. Cum in Vrbe hoc erit Sacramentum exhibendum, Archidiaconi erit perſeipſum, vel per alium ſermone italico id populis denunciare; in Diœceſi Archipresbyteri, ſeu Parochi cura erit. Et certus tũc adeſſe debet codexs in quo cõfirmatorum, parentum, & ſuſcipientium nomina diſtinctè exarentur.

DE SACRAMENTO POENITENTIA. Caput I.

LIcèt Baptiſmo omni crimine Animam eluamus; tamen, quia humana fragilitate noua

semper relabimur in crimina; ideo, vt resurgamus, Pœnitentiæ Sacramentum fuit institutum. Sciendum tamen est, quod licet cuicumque, qui Sacerdotio initiatur, absoluendi potestas tribuatur: nisi tamen ordinaria, vel delegata accesserit iurisdictio, in sibi non subiectos ferre nequit sententiam. Quapropter nullus Sacerdos, neq; sæcularis, neq; Regularis sæcularium potest excipere Confessionem; nisi aptus à nobis fuerit, vel nostro Vicario Generali cum speciali mãdato antea reputatus, aut Parochiale fuerit consequutus beneficium; & Regulares nos adire debent, cum superiorum suorum litteris, quas vocant, dimissoriales, vt facultatem gratis à nobis dandam, si apti inuenti fuerint, adipiscantur: & ideo omnes etiam à nobis concessas, siue litteris, siue oretenus licentias, non adhuc à nobis examinatis, vel de nostro mandato, abolemus.

CAPVT II.

PArochiali institutos beneficio approbatos ad fidelium Confessiones audiendas ducimus in tota Diœcesi; reliqui vero Sacerdotes, quicumque illi sint, siue Sæculares, siue Regulares, seriò animaduertant, sibi non esse facultatem in reseruata concessam, ex eo quod ad ex-

cipiendas Confessiones approbantur. Quare imposterum nullus, neq; Regularis, neque Sæcularis, etiam approbatus vtriusque sexus fidelium confessiones excipiat, nisi annum explerit quadragesimum, & quācumq; hactenus dispensationem ad ætatem per nos concessam reuocamus. Insuper omnes Confessarij, etiam in indiuiduo exprimendi (secluso mortis periculo) neminem à casibus sedi Apostolicæ, & nobis reseruatis possunt absoluere; quapropter omnem facultatem, tam in scriptis, quam voce datam, reuocamus. Quod intelligi volumus de casibus reseruatis, de Dispensationibus, & de omni postremo licentia, ad quam se poterat extēdere nostra potestas. Vnde Sacerdotes Sæculares, vel Regulares cuiuslibet sint instituti, si secus ac iustum est egerint; omnibus officijs, dignitatibus, & beneficijs expoliati, & inepti ad alia assequenda facti ex decreto Pontificio, excōmunicatione vinciuntur, à qua (extra mortis articulum) non ab alio, quàm à sede Apostolica absolui possunt.

CAPVT III.


NE confessarij suæ potestatis excedant limites, sciant in casus Bullæ Cœnæ, & à Sede Apostolica, vel à nobis reseruatos, omni

se

se authoritate priuatos; idcircò ne memoriæ labantur vitio, omnes distinctè casus reseruatos annotent, perlegant studiosè, & in loco confessionibus audiendis assignato defigant, aliter potestate à nobis data nudantur.

CAPVT IV.

IN templis Sacramentalibus, in quibus assolet vt plurimum hoc Sacramentum administrari, sedes adsint, ad hoc munus exercendum structæ, quæ manifesto locari debent in loco crate ferrea, vel laminis æreis, aut alio quouis metallo sint instructæ; aliqua in illis Christi Domini vel Virginis Mariæ, affigatur imago. Qui mulieres extra Confessionalia audierit, suspensionis pœnam incurrit. Simliter ante solis ortum, & post Solis occasum tempore tantum Præcepti Paschalis, & Noctis Natiuitatis Domini exceptis, Confessarij aures non admoueant pœnitentibus fœminis. Vnde irritas reddimus omnes facultates à nobis quoquo, etiam peculiari modo concessas.



CA-

CAPVT V.

EXtra Sacras ædes mulierum Confessiones nullo modo excipiantur; nisi tamen tam Sacerdos, quàm pœnitens iusto sint impedimento detenti. Nec cum tale munus exequuntur, Chirothecis vestitas, & floribus ornatas manus habeant. Cum ad mulierũ mala valetudine laborantium confessiones audiendas Confessarius aduocatur, eo se statuat loco, in quo commodè possit à domesticis conspici; aliàs facultate à nobis concessa priuetur; alijsq; nostro arbitrio pœnis subiaceat. Quod si qui accersitus fuit ad Confessiones audiendas, Parochus non erat, pœnitentem ad restitutionem, reuelationẽ obligatum, aut aliam peccãdi occasionem, & peccatum non auersantem minimè absoluat, sed Parochum, dexteritatẽ qua debet, consulat, vt illorum saluti medeatur.

CAPVT VI.

AD eorum temeritatem coercendam, qui ad Sacerdotij dignitatem non euecti, illius sibi authoritatem arrogare non metuunt, & pœnitentiæ Sacramentum administrare minimè pertimescunt; Clemens VIII. Apostolico cauit Diplo-

plomate, vt isti Ecclesiasticorum Ordinum priuilegio denudati, ab Ecclesia resecentur, & Curiæ Sæculari debitis excruciandi supplicijs degradati tradantur. Nos etiam ipsius inhærendo vestigijs, ne vllus dolis pateat locus; præcipimus, vt in nostra Ecclesia Cathedrali, & in omnibus nostræ Diœcesis Parochijs sit infixa per Vicarios tabella, in qua eorum omnium Confessorum, tam Sæcularium, quàm Regularium inscripta contineantur nomina, quos approbatione dignos reputauimus. Præcipimus itidem, ne Confessionis intuitu, etiam sub Sacri faciendi prætestu, aut restitutionis causa aliquid expetant: quod si fortè quidquam exegerint, & intra sex dies non adimplerint, suspensi maneant.

CAPVT VII.

OMnibus, & singulis Medicorum scientiam exercentibus, sub pœna interdicti, Templi ingressus, infamiæ indelebilis, priuationis laureæ Doctoris, alijsque pœnis in Constitutionibus Innocentij III. & Pij V. contentis præcipimus, & mandamus, vt infirmos, quibus ad medicamenta adhibenda vocantur, inducant, vt à peccatorum maculis conscientiam pænitentiæ sacramento detergant; & tertiò nec

inui-

inuisent non confessos. Quod si valetudinarij id non præstiterint, illos medici vlterius non adeant, nisi ob iustam causam prudens confessarius longiorem temporis requisierit intercapedinem, qua in re Confessoris animus culpa ligabitur. Atque ideo sæpissime medicorum Parochi de hoc memoriam refricent, & Medici Parochos certiores reddant, vt ipsi infirmitate detentos adeant, & opportunè necessaria præbeant sacramenta. Regulares pariter, qui infirmorum Confessionibus aures admouerint, Parochum studeant monere, & exceptæ confessionis fidem infirmo relinquere, quo Medicus vlla sine religione possit medicamenta applicare.

CAPVT VIII.

SVb pœna Excõmunicationis latæ sententiæ, & pœnis aduersus falsarios iure Decretis, mandamus Confessarijs, ne confessionis, aut communionis attestationem illis tradant, qui se non munierint sacramentis. Oues sibi subiectas Parochi hortentur, vt frequenter à sceleribus conscientiam Confessione exoluant; singulis saltem annis præceptis Ecclesiæ obsequantur; nec diem de die protrahant, ne repentino oppressi infortunio, animam æternum amittant.

Rur-

Rurſus edoceant, vt quilibet ad pœnitentiæ Sacramentum accedat demiſſo vultu, firmo iterum non relabendi decreto, cum vitæ anteactæ flebili deteſtatione, flexis genibus, nudato capite, corpore ad modeſtiam compoſito, benè poſtremo diſcuſſa conſcientia.

CAPVT IX.

QVoniam ſępè locis ad audiendas Confeſſiones deſtinatis homines abutuntur ad cum pœnitentibus miſcenda colloquia; idcircò pœnam ſuſpēſionis ipſo facto ſubijcimus, ſi in Confeſſionarijs confabulationes attexunt.

CAPVT X.

CVm Confeſſarij tam Sæculares, quàm Regulares ſunt approbati, licentiam ſibi impertitam Vicario Foraneo deferant, vt eorum in tabella, quæ propè Sacriſtiam affixa eſt, inſcribat nomina; ſi verò illam non detulerint, aut ante præſentationem cõfeſſiones acceperint, perpetuo ſuſpenſi manebunt, & Vicarius Foraneus, ſi curam in hoc non adhibuerit, officio ſuſpendetur.

CAPVT XI.

OMni rigore præcipimus, ne Confessarij eo absoluant scelere pœnitentes, in quo ipsi participes, aut complices fuere; ideoque omnem illis hac in re facultatem obsoluendi, abolemus.

CAPVT XII.

OMnibus notum esse volumus Confessarijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus, datas illis, vel imposterum dandas facultates ad fidelium vtriusq; sexus Confessiones audiendas non extendi ad infirmos in domibus priuatis decumbentes, nisi fuerit prius, vel post intra diem factus certior Parochus. Qui aliter præsumpserint facultate concessa ipso facto priuentur. Regulares nec extra conuentus, nec monialium excipere possunt confessiones, nisi peculiaris facta sit in facultatibus à nobis concessis hac de re mentio. Iterum nos expresse pœnas indicimus, quæ contra sollicitantes in Confessione per Bullam Gregorij Papæ XV. emanarunt; & Confessarij memores esse debent, se admonere debere, eos, qui sollicitati fuere, teneri ad denunciandos sollicitantes.

CAPVT XIII.

SI quādo pro delicti grauitate, vel alia de causa neganda est, vel saltem differenda à Confessarijs absolutio; ne scandalum oriatur, erigant supra poenitentis caput manum in absolutionis signum, & tacitè pronuncient Pater, aut Aue, admonito prius pœnitente, se absolutionis sententiam non prolaturos, sed signum tantummodo facturos, ne suspicio de ipsorum criminum grauitate nascatur.

CAPVT XIV.

QVoniam sæpe casus hic potest euenire, præcipimus, ne vllus imposterum sacerdos sacris indutus vestibus conscientiæ labes expurget, sed curet antequam induatur ad Missam, confiteri peccata.

CAPVT XV.

QVandoquidem sæpè sæpius euenit, vt temerè nostra sine approbatione fidelium Confessiones audiantur, idcircò inhabiles perpetuò declaramus ad Confessiones excipiendas,

qui id facere attentauerint, & à Missarum celebratione suspendimus, & alias incurrisse pœnas publicamus, quæ in Bulla Gregorij XV. cuius initium est, *Inscrutabili*, continentur.

CAPVT XVI.

RESTITUERE renuentes, aut ad pias causas legata persoluere, aut damna falsis illata testimonijs resarcire; omnes denique, qui debitam non dederint satisfactionẽ, nullus vnquam absoluat. Quod si periculoso istius generis homines laborent morbo, omni illos studio hortentur, vt quamprimum his se obligationibus exoluant; & si dolore, & firmo munitos proposito viderint, illis in tali necessitate constitutis beneficium absolutionis impendant.

CAPVT XVII.

DIE Dominico in Albis lapso, intra mensis vnius spatium tenentur omnes Parochi schedulam ad nos deferre, vel mittere, in qua ordine digesta eorum sint nomina recensita, qui Eucharistiam in Paschate non suscepere: vel fidem, quam dicimus, negatiuam; sub pœna vnciarum quinquaginta.

CAPVT XVIII.

QVamuis omnes Confessarij plenariam habeant à quouis scelere absoluendi in mortis articulo potestatem; sciant tamen, nolle nos occultorum, & incertorum dispositionem includi, maximè si liberum habeat infirmus conficiendi testamenti ius: quapropter impediri non debent Notarij, ne aduocentur, & eorum dispositiones conficiant, & exscribant, quibus disponere adlibuerit; secus vnciæ sunt soluendæ centum in Excommunicationis subsidium.

DE CASIBVS RESERVATIS.

Casus reseruati hi sunt, qui sequuntur.

1. Excommunicatio maior, suspensio, & Interdictum.
2. Blasphemantes in Deum, & B. MARIAM semper Virginem.
3. Homicidium voluntarium committentes, Consulentes, vel fauorem præstantes.
4. Infantes ad biennium in lecto suffocantes.
5. Incestuosi in primo, & secundo affinitatis, vel Consanguinitatis gradu, tam ex licita, quã ex illicita copula, vel Virgines deflorantes.

6. Coe.

6. Coeuntes cum infidelibus, & brutis, nec nõ cõmittentes Sodomię peccatũ per duos actus.
7. Non soluentes decimas, & legata pia.
8. Incendiarij ex proposito, & qui damni, vel iniuriæ causa arbores, & vites inciderint, & nocturni agrorum depopulatores.
9. Superstitiones cum inuocatione Dæmonis tacita, vel expressa, & Sacramentis, siue Sacramentalibus abutentes.
10. Qui ante Sacramentalem vnionem copula carnali miscentur.
11. Testamenta, & legata ad pias causas impędientes, occultantes, vel cum possint, & debeant, non exequentes.
12. Parentum percussores.
13. Infantes exponentes per se, vel per alios, cum habeant vnde viuant, vel eorum damnum non resarciunt.
14. Instrumenta falsa conficientes, & conficienda mandantes, consiliumue præstantes.
15. Litteras nostras, & nostræ Matris Ecclesię Catholicę falsificãtes, adulterãtes, vel reserantes.
16. Vsurarij, vsurarumq; mediatores, & qui instrumẽta manifestas vsuras cõtinẽtia cõfecerint.
17. Venefici.
18. Detinentes beneficia Ecclesiastica, vel bona Ecclesiastica, siue nostræ mensæ Episcopalis

sine

sine iusto titulo.

19. Qui terminos possessionum Ecclesiæ, vel nostræ mensæ Episcopalis mutauerint.

A' quibus facultatem à nobis confessarijs Sæcularibus, vel Regularibus concessam voce, vel in scriptis, reuocamus.

DE SACRAMENTO EVCHARI-stiæ. Caput I.

INter omnia, quæ Christus Dominus instituit sacramenta, potiorem obtinet locum Eucharistia: quapropter summa illam prosequi veneratione debemus; in ea enim verissimum Christi Corpus continetur. Curent proinde solerter Parochi, vt locus, quo seruatur, ab omni prorsus labe purus sit, firmiterq; munitus, ne quid sceleris in illum manus nefaria moliatur. Opus igitur est, vt in qualibet Parochiali, vel Sacramentali Ecclesia adsit sacrum pegma, communiter tabernaculum, marmore, aut polito affabre laboratum ligno, quod sacris sit variegatũ imaginibus; & ita firmum stabileq; sit, vt facili negotio nequeat dimoueri. In eius fronte portula inseratur non incongruæ magnitudinis, ita vt pyxis, cæteraque sacris destinata vsibus vascula commode educi, & introduci valeant. Pars interior taber-

naculi

naculi sericis sit circumuestita velis: ostiolum, argentea, vel deaurata muniatur claui, cui vitta similiter serica sit obligata, quę clauis semper penes Parochum sit. Quod si minister sua incuria aliquid mali non amouerit, pęnis nostra infligendis voluntate subiacebit. In vertice autem Tabernaculi Crucis, vel Christi de morte triumphantis extollatur imago. Et vbi id pecunia non deneget sacro conopœo à summo deorsum obducatur; quod si altè Tabernaculum super altare situm sit, ligneo vtatur Sacerdos scabello duorum, aut trium graduum, quod facilè amoueri possit. Postremo, ne vlla sordes in parte interiori adhæreat, singulis saltem mensibus à Parocho extergatur; nam, si hæc diligentia omittatur, puluere, & aranearum telis maculabitur.

CAPVT III.

CVrandum est Parochis, vt in pyxide argentea intrinsecus deaurata sacræ nunquam desint particulæ, ne illarum defectu emigrent ex hac vita fideles cælesti Viatico non roborati. Et ne vlla in sacris oriatur frustulis corruptio, octauo quoque die renouentur. Hoc Sacramentum in templis tantum Parochialibus, & Sacramentalibus (Monialium exceptis Ecclesijs) seruandum

dum est; quia ipsis Sacramenta administrandi incumbit onus. Idcircò imposterum nullus hoc Sacramentum audeat absque licentia Apostolica in templis non Parochialibus asseruare; quo in decreto eorum Ecclesias comprehendi volumus, qui regulari se non obstringunt professione. Si verò alicubi absque sedis Apostolicæ facultate retinetur, statim assumatur: secus ipsa Ecclesia ipso facto sit interdicta, & prorogationes concessas abolemus pro adeunda sede Apostolica, vt licentia obtineatur.

CAPVT III.

DVę semper adsint Pyxides argenteæ intrinsecus inauratæ: & si integræ nequeant ex argenteo conflari, cum pede ex auricalcho auro similiter illito, & candido semper velo sint coopertæ. Harum altera vtendum est, quando defertur ad infirmos Sacramentum; altera in ipso tabernaculo semper perduret, quæ decoro debet esse schemate variata. Debet itidem adesse sphæra vitro ex vtraque parte pro supplicationibus, & quadraginta horarum oratione ornata, quæ commodè possit recludi, & obserari acu argentea. Nec desit lunula ex argento, qua hostia substentari debet, cum exponitur populis adorandas.

canda. Denique in tabernaculo alium ad vſum deſtinata vaſa, vel Sanctorum Reliquiæ reponi non poſſunt.

CAPVT IV.

QVando ad infirmos Eucharistiæ Sacramentum deferendum eſt, non modo tot deferēdæ ſunt particulæ, quot ſunt ij, qui diuina ſunt paſcēdi dape; ſed vna ſemper ſaltem ſuperſit, tum in pyxide, tum in tabernaculo, ne inanis fiat à populis adoratio. Noctu, diuque ante hoc Sacramentum accenſa ſemper lampas reſplendeat: feſtis tamen diebus, ſi vires patiuntur Eccleſiæ, plures colluceant. Seduli Sacriſtæ ſint, ne ventis, aut pluuijs lumina extinguantur: ſecus noſtro arbitrio pœnis plectentur, quod ſi periculum extinctionis timetur, lycnus vitro, vel alia tranſlucida circundatus materia cōſtruatur. Si verò tanta ſacriſtæ fuerit incuria, vt ſæpius lumen extinguatur, vel auaritia pabulum igni deſit, qualibet vice menſis vnius carcere plectetur.

CAPVT V.

QVoties diuinum Epulum ad infirmos deferri debet, prius campanæ ſignum detur, vt illo

illo admoniti fideles ad Ecclesiã conueniant. Illud Sacerdos linea indutus tunica,& stola, & velamine humeris superposito deferat in pyxide albo semper velata peplo. Cum illud defert, deuotè preces à rituali statutas effundat; iter agat sub vmbella holoserica cũ luminibus, prout vires Ecclesiæ sufficient: lumina tamen, seu cerea fanalia numerum expleant saltem octauum, & continuus tintinnabuli perstrepet sonitus, vt debitus à populis in genua prouolutis præbeatur cultus. Vbi Sacerdos ægroti domum fuerit ingressus, pacem precetur, sacra adstantes aspergat lympha, & omnes ritualis adamussim custodiat cæremonias. Hoc Sacramentum quantum fieri potest, ieiunis præbendum est. Si verò post prandium, aut noctis tempore deferendum fuerit, medici licentia in scriptis necessitatem affirmet, nisi tamen grauitas periculi aliud agendum esse portendat; Qua in re Parochorum prudentia semper eluceat. Non denegãdum est hoc Sacramentum pueris, qui rationis vsu fruuntur, aut qui alias capaces videntur: vt neque vnctionis extremæ Sacramento priuandi sunt. Quod si accidat casus, in quo quis post sumptam ad modum viatici Eucharistiam iterum cælesti conuiuio se vellet reficere infirmus, vel etiam non ieiunus, septem tamen transactis diebus, commu-

nicet; tribus, si periculum vrgeat, quod Medici licentia in scriptis debet attestari sub pœna vnciarum viginti: quod semper intelligitur, nisi casus adeo inopinatus, & repentinus euenerit, vt talem obtineri licentiam impedierit.

CAPVT VI.

CVm sæpissimè publicè sint ordinandæ supplicationes, ideò necessaria sunt alia ornamenta communibus pretiosiora: serica scilicet vela, vmbraculum holosericum (quod dicimus, baldachino) quatuor, aut sex suspensum hastilibus. Cum in die solemni Corporis Christi generalis instituitur supplicatio, ad vnguem custodiendæ sunt Romanæ Ecclesiæ, & Ritualis cæremoniæ. Vniuersus tam Sæcularis, quam Regularis Clerus intersit, sacris indutus vestibus; omnes cōfraternitates suis adesse debent insignibus, nec illis recedendi detur copia, nisi processione absoluta. Quilibet, qui contrarium fecerit, duas soluet vncias. Ritus, & cæremoniæ à Rituali Romano, & cæremoniali præscriptæ rigorosè seruētur, viæ non modo pulueruIentæ esse non debent, sed ab omni prorsus sorde expurgatæ; virentibus etiam vndequaq; folijs conspersæ, aulęis, seu sericis inuoluti sint parietes

pannis, & honeſtis interdiſtincti imaginibus; & quiſque fidelium, quorum ante domus tranſibit ſupplicatio, ſtudeat omni, quo poterit ornamento ſuas ædes concinnare. Veſpertino ante feſtum die lumina per Eccleſias, & domos diſponantur. Quod ſi in ſupplicatione de loci præcedentia inter alios fuerit orta contentio, in Vrbe nos, aut noſtrum Generalem Vicarium adeant, vt pacifice qæuſtio terminetur: in Diœceſi verò ad Vicarium ſpectat ſecundum conſuetudinem lites haſce dirimere, & nos quamprimum admonere.

CAPVT VII.

INtegram in feſto Corporis Chriſti per Octauam tam in Miſſa, quàm in horis canonicis Euchariſtia ſuper aram maximam, aut alio eminentiori loco adoranda exhibeatur. Qui locus ſtabilis, & firmus ſit, lapide ſacrato inſtructus, & myſtica ſyndone, alias corporali; ſex ſaltem ex cera ardeant luminaria, & tam in expoſitione, quàm in repoſitione præſcriptę à Rituali Romano recitentur preces. Vetamus tamen omni ſeueritate, & ſub pęna vnciarum decem machinas, & alia quæcunq; inſtrumenta, quibus erigitur, & demittitur.

CA-

CAPVT VIII.

QVinta hebdomadæ maioris feria opportunus est cōstruendus locus, in quo veluti in sepulchro iuxta Romani Missalis ritus hoc Sacramentum reponatur, illoque in sequenti feria Sacerdos communicet. Duodecim saltem cādelæ, totidemq; ex oleo compacti lichnuli colluceant. Qui ad huius loci custodiam sunt designati, vaniloquia, & commessationes deuitent, sed potius flexo deuote poplite preces fundant. Ante secundam noctis horam Archipresbyteri, & Parochi suę Ecclesię fores occludant, nec Vicarij aliud cuiquam (exceptis monialium Templis) permittant; secus illis hęc incuria sex stabit vncijs.

CAPVT IX.

OMni Iouis die per annum currente, ad populorum excitandam deuotionem congruum visum est permittere in Vrbe, & in Diœcesi, vbi Sacramentum hoc asseruatur, faciū de Sanctissimo decantari, & illud iuxta formam à Romano Missali pręscriptam exponi; videlicet, ne eiusdem Sacramenti decantetur Missa in die-

bus

bus duplicibus, & solemnibus, in quibus de festo recitari debet, adhibita tamen huius Sacramenti Oratione. Quod si post Missam supplicatio fieri consueuit, tantùm intra Templi septa illam ordinari permittimus,&quamcumque siue à nobis, siue à nostro Generali Vicario datam, vt extra Ecclesiam memoratis circumferri possit diebus, reuocamus facultatem.

CAPVT X.

VT Lateranensis Concilij Decretum custodiatur, omnes Parochi monere debent plebem sibi subiectam, pueros, vbi ad discretionis annos peruenerint, ad Eucharistiæ sumptionem Paschatis tempore obligari; quod tempus à die dominico Palmarum ad Dominicam in Albis inclusiuè protenditur. Qui huic non obtemperarit præcepto, dum vita fruitur, ab ingressu Templi arceatur: Vita defunctus Ecclesiastica priuetur sepultura. Et ne quis culpabili indulgentia, vel obliuione subrepat error, Parochi omnes eos in librum adnotare debent, qui se pabulo diuino refecere, vel signum illis tradere, quod terminato tempore repetatur; quo compertum sit, an ab omnibus factum fuerit satis. Scire etiam oportet, hoc non adimpleri

Præ-

Præceptum, nisi Eucharistia in Parochiali Ecclesia, sumatur; vel alio in loco, si nostra, vel Parochi aderit in scriptis licentia in Vrbe, aut Parochi per Diœcesim. Ideòque omnes tàm sæculares, quàm Regulares administrare tali definito tempore hoc Sacramentum nequibunt. Quod si aliquis, vel ob Parochi absentiam, vel de illius licentia alibi se communicarit, scripto demonstret, suæ se obligationi satisfecisse. Exteris nostra Cathedralis in Vrbe: Matrices in Diœcesi, ad hoc suscipiendum Sacramentum destinantur. Sin verò aliquos extra propriam commorari Patriam tempore Paschali contigerit, vbi primum redierint in Patriam, litteras eius sacerdotis subscriptas manu, sigilloque munitas, in cuius Ecclesia sacro se roborarunt Epulo, proprio deferat Parocho, quo adimpleti præcepti habeat cautionem.

CAPVT XI.

OMnes Vsurarios, Concubinarios, Meretrices, Histriones, Excommunicatos, Interdictos, aut alio quouis notorio famosos scelere ab hac mensa amoueri volumus: donec aut de suscepta absolutione, aut de abstersa infamia deferant testimonium. Sunt similiter arcen-

cendi pueri tanti Sacramenti minimè cognoscentes altitudinem; à Parochis tamen omni sunt diligētia instruendi. Quamuis autem fideles ab Ecclesia semel in anno ad hoc sumēdum Sacramentum obligentur, sœpius tamen illo se refici, laude dignum est; Parochi proinde studeant, vt fideles sibi subiecti, illud frequentes adeant, præmissa prius Confessione, qua, si aliquæ lethales hęserint in conscientia labes, expurgentur. Qui accedunt sine fastu sint; mulieres non comptæ, & fucis illitæ, sed velato capite, Ieiunis faucibus, flexis genibus appropinquent. Nec statim à sumptione alijs se reficere properent cibis; sed temporis aliquantulum precibus, & gratiarum insumant actione.

CAPVT XII.

SAcellum, in quo generales habentur Cōmuniones, sit clathris, seu cancellis obseptum, si fieri potest ex lapide, aut ex polito factis ligno columnellis distinctum, quę oblongam suffulciant tabulam, lineo coopertam velamine; duo facibus refulgeāt candelabra; vasculum ex vitro, aut cristallo apponatur, vt manus possit abluere Sacerdos: nec, qui Sacrum Epulum distribuit, eo tempore, dum hoc munus exequitur, alicuius

M pecca-

peccata excipiat. Postremo particulæ consecrandæ tantum à Sacrista, & non ab alijs tempore celebrationis sunt deferendæ: ante ablutionem hoc Sacramentum impertiat Sacerdos: & si hi, quos diuino reficere debet pabulo, denarium numerum excesserint, ex pyxide, & non patena Sacramentum desumat.

CAPVT XIII.

SI, quando Sacerdotes mala laborãt valetudine, vel alio præpediti impedimento Christi Corpus extra Missã velint sumere; tũc striata indutos tunica, & stola vtroque demissa ex humero, illos accedere oportet, vt fieri assolet in Cœna Domini: quo die Canonici, Presbyteri, omnesque Clero addicti inter Missarum solemnia in Cathedrali à nostris, vel ab eius, ad quem consuetudine spectat, manibus hoc Sacramentum recipiant; in Diœcesi verò Archipresbyteri, seu Parochi tantum Eucharistiam administrare possunt. Quocirca sub pœna suspensionis nullus (ijs tantùm suprammemoratis exceptis) prædicto die audeat celebrare contra sacrę Congregationis statuta.

CAPVT XIV.

INfirmus hoc Diuino Cibo roborandus sua prius Confessione Sacramentali expiet crimina, & Parochus illi tunc Eucharistiam exhibebit cum vomitus, aut alicuius irreuerentiæ nullum timetur periculum; ijs tamen conditionibus, quas supra memorauimus. Quod si in graui vitæ discrimine sit constitutus, quamuis laqueo suspendendus, semel, sed non in eodem die, exhiberi poterit, seruatis tamen statutis ab Ecclesia precibus. Si vero mortis metus adsit nullus, decumbens in lecto, si ieiunus fuerit, hoc Sacramento non priuetur; at si tussis, aut aliud à susceptione Sacramenti impedimentum infirmum detinuerit, non est deferendum, vt domi illud adoret.

CAPVT XV.

SAcristæ, vel qui hostias conficiunt, laici non sint; sed Ecclesiastici parata teneant instrumenta, hanc ad rem necessaria; arculas, quæ illas complecti debent, serico, vel papyro intrinsecus circumuestiant, & binis saltem hebdomadis ex puriore tritici farina, azymas hostias incoquent, & conficiant.

CAPVT XVI.

NE vllus pateat ſubterfugio locus, & vt nobis clarius innoteſcant, an omnes annuæ Communionis Præcepto ſatisfecerint; Parochus librum paret, in quo per duos ante Paſchæ menſes alphabetico digeſta ordine, appoſitiſque numeris eorum deſcribat nomina, & cognomina, qui ad Communionem præcepto obſtringuntur; quibus ſedulo annotatis ſchedulam cum nomine, & cognomine, & numero in originali præſcripto, conficiat; quam tempore quadrageſimali cuicumque hoc Sacramentum ſumpturo tradat, & illam tempore Communionis aliquo in vaſe, vel crobe repetat, & cum originali conferat, videatque, an omnes huic præcepto obtemperarint; quos non obtemperaſſe repererit, intra menſem ad nos referat: quod intra tempus, ſi fortè qui non communicauit, morte præueniatur, illum in Eccleſia non audeat ſepelire ſub pęna vnciarum Centum, niſi nos ante hac de re admonitos fecerit. Sacerdotes verò, & Clerici die Iouis hebdomadæ maioris in Cathedrali à noſtris manibus, in Dœceſi de manu Parochi hoc Sacramentum ſumant. Poſtremò vetamus, ne, dùm Euchariſtia diſtribuitur, aliqua per Eccleſiam

arcula ad corrogandam Eleemosinam circumducatur.

CAPVT XVII.

NVllus audeat in posterum ad turbines, fulgura, & quaslibet depellendas tempestates sacram synaxim ante fores Ecclesiæ, vel alium in locū deferre, sub pœnis nostro arbitrio.

DE ORATIONE XXXX. HORARVM
Caput I.

VT summa pietate Oratio quadraginta horarum ad Sanctissimi Venerationem instituta, & quæ tùm in Vrbe, tùm in alijs Diœcesis locis fieri consueuit, celebretur; statuimus, vt posthac in nostra Cathedrali Ecclesia, in Parochialibus, & Sacramentalibus Delubris tantum fiat, vel vbi hoc authoritate Apostolica Sacramentum seruatur, vel in Ecclesijs monasteriorum, tàm virorum, quàm mulierum, nec non ijs in ædibus sacris confraternitatum, in quibus intereft populorum numerus. Die oportet, vt fiat, noctū nunquam; ab hora prandij ad Vesperas in Sacro pastoforio, seu Tabernaculo sit repositum. Sex sint accensæ ex oleo lampades,

duodecim ex cera candelæ præniteant; vnus ad minus Clericus, vel sacerdos linea indutus, assistat tunica; & in Confraternitatibus duo saltem saccis induti, alijs exceptis, singulis horis intersint. Quantum locus patitur à mulieribus sint seiuncti mares, & sub pœnis nostro arbitrio nullus audeat tali tempore commessari, aut conuiuari. Capite omnes nudo, flexoque genu, & deuoto corporis situ, hoc Sacramentum reuereantur; ante ianuam, quæ expositam è fronte Eucharistiam respicit, pannus appendatur, quo non apposito à Sacerdote sacra hostia non exponatur, sub pœna suspensionis. Concio frequenter fiat, & tempore, quo illa habetur (nisi aliud ratio suaserit) velamine sacramentum contegatur. In dicta oratione Clericorum nullus sacros legere libros audeat, sub pœna nostri arbitrij. Finita verò oratione Synaxis in Tabernaculum reponatur; quod si non adsit, in Missa consumetur; nec aliam ad Ecclesiam transferatur; nec extra Ecclesiam processiones, etiam à Regularibus ordinentur. Denique, quantum commodè fieri potest, eo in altari, vbi est expositum Eucharistiæ Sacramentum, Sacra non celebrentur: &, si Sacerdos erit ad celebrandum tali in ara obstrictus, poterit alio in altari sacris operari.

CAPVT II.

NEmini licitum ſuo arbitrio hoc Sacramentum exponere, nec ijs, quibus ipſi libuerit temporibus; ſed eo tantum die, qui illi per tabellam deſignabitur. Nec vllus itidem, etiam Regularis, ſub pœna interdicti, poteſt Synaxim adorandam exponere, niſi cauſam antea nos recognouerimus, & licentiam in ſcriptis conceſſerimus.

DE SACRIFICIO MISSAE.
Caput I.

NVlli Sacerdoti licitum eſt in tentorijs, priuatis domibus, Oratorijs, vel alijs in locis non conſecratis Sacra facere, niſi ſpeciale habeat priuilegium: ſed tantum in locis ab Epiſcopo conſecratis. Igitur adſtrictus ad litandum ſacroſancta hoſtia, ſuas ſeruet obligationes eo die, & loco, nec per Interpoſitum Sacerdotem munera exequatur, niſi rationabilis adſit cauſa, & ex noſtro conſenſu. Studeant pias teſtatorum diſpoſitiones in Miſſis adimplere; eorum obſequi voluntati, quibus iureiurando ſunt adſtricti, ſub pœnis, quæ in Decretis de mandato Vrbani

Papæ

Papæ VIII. habitis continentur, cuius exemplar hic inserimus. Et, ne maior, aut ea, quæ par est, minor eleemosina tradatur sacerdotibus pro singulis in feria celebrandis tarenū vnum, granosq; decem; duos tarenos festiuis diebus accipient.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij, S. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, De Celebratione Missarum.

CVm sæpè contingat, in quibusdam Ecclesijs tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut priorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen noua onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates; obstricta benefactoribus fides violetur; defunctorum animæ suffragijs priuentur; Ecclesijs debitus subtrahatur cultus; ac Christi fideles graui scandalo affecti, plerumq; à similibus caritatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent, illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quod Ecclesijs, forte pecuniarum absumpta,

ple-

plerumq; nuda remaneant onera Missarũ absq; vllo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere; & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua substentatione nouis se oneribus obstringere compellantur: SACRA CONGREGATIO CARDIN. CONCILII TRID. INTERPRETVM animaduertens, facturam se rẽ Deo gratissimam, caritatiq; ac Iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atq; eradicare: Sanctissimi D. N. VRBANI Diuina Prouidentia PP. VIII. authoritate sibi specialiter attributa infrascripta decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atq; interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla Missarũ celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & communicationes huiusmodi, si quas contra

huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atq; inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Missis, etiã eiusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumq; incongrua, & exigua, siue ab vna siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscumque tàm sæcularibus, quam regularibus, SACRA CONGREGATIO sub obtestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absoluté tot Missæ celebrentur, quot ad rationẽ attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò vt deinceps obseruetur exactius, SACRA CONGREGATIO eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam sæcularibus, quàm regularibus, cuiuscumq; Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumq; ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum

 susci-

ſuſcipiendis ſatisfiat.

57 Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

58 Præterea, nè in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta; ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tàm ſæcularibus, quàm regularibus; atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet (ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda) à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penès ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeu illorum pretiũ quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi

eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, vt supra deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atq; annexione conuerti debeat.

Ad hæc SACRA CONGREGATIO quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum tàm sæcularium, quam regularium Superioribus, vel alijs ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum; sæculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarij; Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisq; actiuæ, ac passiuæ absq; alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant;

leant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa [Eleemosyna pro missis] vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis; ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarũ celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse: præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquntur, omnino respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in Nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò ILLVSTRISS. PARTES, nō sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in

one-

oneribus Missarum supra vires suscipiendis, vel luti ex infecta radice pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus Monasteriorũ, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel nõ possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium; vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas itẽ eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in cõmunem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, &
matu-

maturè recognoscāt, ijs omnibus detractis, quę reparationes, pięstationes, grādines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaq; omnia scripto fideliter exarata, idē Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat; qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra detractis, sedulo examinent, quot religiosi homines (connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus) in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprij Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ, Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singulaquaque Prouincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debēt,

seri-

ferius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat SAC. CONGREGATIO, vt infra annum, poſt proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitualiter geſta, in authenticam formam redacta ad Sacrã ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant; numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omnino teneantur; nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſupra præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere; atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

De

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere; & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari atq; inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atq; omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusq; Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atq; efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisq; actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoq; mense, idest feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tâm Ecclesiasticis personis, cuiuscumq; sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocumq; ho-

nore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreti declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus (quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis cõtenta) Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſt. in fauorem quarumcumq; perſonarum, atq; Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tàm ſæcularium, quàm regularium locorum; necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis: etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicatio-

catio-

catiobis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum (non autem per clausulas generales) mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis hab., quibus quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, (illis aliàs in suo robore permansuris) Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

Et ne præmissorũ ignorantia à quoquam prætendi possit; voluit eadem SACRA CONGREGATIO, vt præsentes Ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si vnicuiq; personaliter intimatę fuissent. Vtq; earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus

tibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ, die 21. Iunij 1625.

Cosmus Cardinalis de Torres.

Loco ✠ sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr.

Declarationes aliquot Sac. Congregationis Cõcilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis eiusdem Congregationis, de Celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis:

Quæritur, quid, si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire; & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò super secundo eiusdem Congregationis

tionis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint:

Quæritur, an verba illa [præscriptæ fuerint] intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cũ Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Missæ absque vlla præscriptione eleemosynæ: Queritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi benè visam præscribere; an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario.

Sexto, super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus col-

lectis

lectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Priuilegium?

Septimò, super Quarto eiusdē Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrādam committat.

Quæritur, An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octauò, An hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, idest: An Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimo, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeāt dare eamdem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt: An verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Vndecimo, super quinto eiusdem Congregationis

tionis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba [eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis]ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, An hoc decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerũt: & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertio, An pæna interdicti, & aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquarto, An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quę apponi solent in Ecclesijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur[casse de Morti]?

Decimoquinto, An Administratores Ecclesię magnę deuotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem

dem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesię, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur.

Decimosexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & Piorum locorum, tàm sæcularium, quàm regularium, superioribus, de quibus fit expressa mentio: non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& alijs, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimo super septimo eiusdem Sacræ Congregationis decreto, quo cauetur vt in singulis Monasterijs Religiosorum pręfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari:

Quęritur, An vbi hęc pręfixio facta iam fuit in vim similis decreti san. mem. Pauli V., absq; tamen computatione reddituum cuiusque Religiosi, sit denuò facienda, nec ne?

Decimo octauo, An Nouitij ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus habita, vt supra, pręfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimo nono super vltimo, quo cauetur,

vt nullibi recipantur conuentus Regularium, nisi, præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ:

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis IESV?

Vltimò, An idem Decretum, vbi disponit [vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c.] habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extra Italiam?

SACRA CONGREGATIO CARD. Concilij Tridentini interpretum, auctoritate sibi à Sanctiss. D. N. attributa, Ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, v3.

Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra, impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam; quæ absq; vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit. Verumtamen, si in ipsa beneficij erectione

expresse cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari; legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit; non autem ab Ordinario. Quid si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit; tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtriq; obligationi satisfacere.

Ad quintum censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad Sextum, Ita esse intelligenda.

Ad Septimum respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam, porti-

onem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione; nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundę; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt (expensis, vt supra, deductis) absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octauum, non habere locum; sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ: nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolutè integram eleemosynā tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad Vndecimum respondit, non prohibere absolutè; Ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimũ, quàmuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant: ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & cõſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit: decretum non prohibere, quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis iuxta benefactoris cõſenſum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipiẽtibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimum quartum, Comprehendi.

Ad decimum quintum, Non poſſe, niſi de cõſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſpõſione ad duodecimum.

Ad decimum ſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Ad decimum octauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant; ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimum nonum Cenſuit, cõprehendere.

Ad

Ad vltimum, habere locũ etiam extra Italiã.
Cosmus Cardinalis de Torres.
Loco ✝ sigilli
Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr.

CAPVT II.

TEmpus ad Sacra facienda constitutum ab Aurora ad meridiem extenditur, vt cuilibet id agnoscere ex tabella in huius operis calce apponenda, facile erit. Parochi, vel alij, ad quos attinet, tempus ita distribuant, vt opportunitatẽ Sacrum audiendi populus semper habeat, & Sacerdotes oneri satisfaciant suo; nec sit alter alteri impedimẽto, maximè cum vna in ara pluribus litandum est Sacris. Si Missam pro Defunctis celebrare ex obligatione debet Sacerdos, & duplex adsit festum, non tamen de præcepto, Sacrum pro Defunctis celebretur, vt testatorum voluntas impleatur, ex Decreto Congregationis rituum; Si verò casu accidat, vt quis ad celebrandam Missam pro Defunctis in festo duplici, vt supra, rogetur, celebrare nequit, ex eadem Congregatione. Nullo denique modo Sacrum facere pro Defunctis die Dominico licet, sed in subsequenti; si tamen dies de præcepto festus non impedierit.

CAPVT III.

SAcra facturus Sacerdos humeralem amictum, albam tunicam, cingulum, mappulam, seu manipulum, stolam sacerdotalem, pœnulam, & vestem lineam talare superinduat: è sacrario, idest Sacristia, caput coopertus prodeat: annulis sub pœna suspensionis non vtatur: nec itidem pileolo ex prohibitione Apostolica super negotijs &c. Et ex sacra rituũ Congregatione: nec prius exeat, quàm certum sit, vrceolos adesse vitreos vinum, & aquam continentes, malluuium, mantilia, candelas cereas, mappas, secretorum tabellam, cæteraque omnia ad sacrum celebrandum necessaria; Calicem, patinam, hostiam sacrandam, techam sacri linteaminis, sudariolum, hostiamque componat, apposito conuenientis coloris velo. Missam ante perlegat, nec illam in altari celebret non lapideo. Vbi Egressus fuerit, & ad aram peruenerit, neminem expectet, vel aliquam precem, seu partem ante prolatam, in illius fauorem de nouo repetat. In Confessione, Patroni nomen non proferat. Dum Missas ordinarias, quas planas vocitant, celebrat, duæ tantum candelæ ardeant, pluribus vno ministris, & cæremonijs Episcopo

ſcopo tantum debitis, non vtatur: & nos ſub pœna eiuſdem peluis, ſeu malluuij prohibemus, ne argenteo cratere, ſeu grandi pelui manus abluat; nec ab altari, vt Epiſcopus aſſolet, ſacra ſumat veſtimenta, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto. Abſoluta, cum reuertendum eſt, Miſſa, capite operto infra gradus altaris, ex rituum congregatione, caput accliner.

CAPVT IIII.

DIgnus eſt operarius mercede ſua; idcircò ſacerdotes, qui aſſiduè Eccleſijs inſeruiunt ad Cappellanias, & Beneficia ijs præponantur, qui Eccleſię minus frequenter interſunt. Igitur procuratores, & Parochi, alijque, quorum intereſt, inpoſterum Eccleſi s tàm Parochialibus, quàm confraternitatum ſacerdotes ſæculares frequentiores, alijs, etiam Regularibus, præferant: qua in re Tridentini Decreto inhæremus annuentis, vt ſtipendia ſæcularia ſæcularibus, Regularia Regularibus tribuantur.

CAPVT V.

SAcerdotes exteri, & vagantes ad hoſtiam immolandam non admittantur in Vrbe, ſi no-

nostram in scriptis non deferant facultatem: In Diœcesi verò, si Vicarij foranei etiam in scriptis licentia non accesserit; nec etiam à Regularibus celebrari sacrum permittatur, nisi prius propriorum ordinariorum comendatitias litteras per sex mensium spatia, prius expeditas, perspexerint Parochi; quod etiam cum Regularibus alienigenis exercendum est: vt scilicet sacrificium non peragant, nisi suorum superiorum, aut nostrum, nostriq; Generalis Vicarij, rescriptum exhibuerint. Si verò compertum fuerit, aliquem Sacerdotem ad paucos dies à sua Diœcesi profectum, nulloque impedimento detentum esse; poterit illi Vicarius celebrandi conferre facultatem ad dies octo. Hoc decretum affigi debet in singulis nostris Diœcesis Sacristijs.

CAPVT VI.

DE graui crimine, vt loquimur, prosecuti, & in nostra Magna Curia præsentati, sacris non operentur, quoad fuerint absoluti; & ritè sacris, sed recenter, initiati ordinibus, Missas non celebrent, nisi eos prius nos, vel à nobis deputandi de sacris ritibus examinauerimus, & approbauerimus: secus interdictione ipso facto puniuntur. Nemo similiter in monialium

lium Templis rem Diuinam faciat, nisi facultatem à nobis obtinuerit, quam perlegendã exigat Cappellanus ab omnibus, etiam Regularibus, ibi sacrum celebrare cupientibus: quod si licentia non exhibita sacrum confici permiserit, ipso facto excomunicatione vincietur.

CAPVT VII.

EO tempore, quo nos Deo sacra hostia litare contigerit, nullus celebret; nec eo in altari eodem die, in quo nos Sacra peregimus, rem Diuinam peragat, nisi nostra facultas adfuerit. Mandamus insuper, ne Missæ decantentur in Ecclesijs confraternitatum, in priuatis Oratorijs, & sacellis, antequam in Missa maiori, seu Conuentuali Parochialiũ, seu Sacramentalium Eucharistia eleuetur; quod ea de causa fit, vt Dominicis diebus, & festis populus ad suam parochiam conueniat, ibique de contrahendis matrimonijs, & censurarum pronunciatione edoceatur, & Euangelij explicationem, aut Conciones Excipiat: Ideoque omnes ad id temporis datas irritas facimus facultates: huic Decreto non obtemperantes qualibet vice duas pendent vncias. Quolibet in die semel Sacrum offerri licet; In Christi Domini tamen Natalitijs ter, & ante Au-

rorum ab Ecclesia celebrari concessum; reliquis anni temporibus ab Aurora ad meridiem, vt supradictum. Cum sacra peraguntur semper Clericus lineis indutus vestibus in Cathedrali, alijs in locis, prout commodè fieri poterit, assistat. Ritus, cœrimoniæ, preces ab Ecclesia statutæ in Missarum celebratione ad vnguem seruentur, nec aliquid, vel minimum prætermittatur. Sacerdotes die, quo primum ad Sacrum peragendum aras adeunt, Ecclesiam corrogandæ eleemosynę causa non circumeant; vestes sacerdotales in Ecclesia, non domi suscipiant; nec illis induti foras prodeant. Quæ omnia seuerè prohibemus, & interdicimus.


CAPVT VIII.

NOn modo Clerici, & Regulares, sed vtriusque sexus laici interesse debent Sacro singulis diebus festis,& Dominicis: quapropter æquo ferre nequimus animo malam illam, quę quibusdam viget in locis, consuetudinem, qua funeris causa Viduę, & defunctorum affines domi diuturnius immorãtur,& huic pręcepto nõ obsequũtur. Obtestamur igitur omnes, vt filios, filiasque, etiam nobiles, Virgines, seruos, Discipulos ad Missæ Sacrificium audiendum stimu-

lent, & incendant: vt paſtoribus, aratoribus, ruſticis, alijſque in villis commorantibus liberam Domini concedant facultatem, qua ſacro poſſint intereſſe; & Parochi debẽt viduas, & conſanguineos admonere, illas tranſacto à die obitus menſe ab hoc præcepto non excuſari.

CAPVT IX.

ANte Miſſę ſacrificium per quadrantem horæ, vel etiam in Choro publicè, nullus ſacerdos audeat tabaccum ſumere, ſub pœna ſuſpenſionis. Nec ſacra, quæ de Roſario, de Carmelo, de Aeterno Patre, de quindecim Auxiliatoribus, vel de Sancto Gregorio nuncupantur, à quoquam impoſterum celebrentur; atque pro his tabella in ſacriſtia præfigatur. Vetamus itidem, ne vlli cuiuſcumque ſit dignitatis, Euangeliorum liber exoſculandus porrigatur; hoc enim Epiſcopis, & Prælatis ſuperioribus, & illi, qui ſacris operatur in Miſſa ſolemni ex rubricis congruit, & conceditur: Temerarius verò, qui id auſus fuerit, latæ iam ſententiæ excommunicatione punietur.



DE SACRAMENTO EXTREMAE Vnctionis Caput I.

VNctionis extremæ ſacramentum à Chriſto Domino ad animarum ſalutem inſtitutum neceſſarium licet non ſit, abſque tamen ſcelere contemni nõ poteſt: Illo enim peccatorum, ſi quæ inhærent reliquiæ, abſterguntur: ad luctandum contra Dęmonem animus roboratur: & nõnunquã priſtina corporis redintegratur valetudo. Quamobrem ſeuera puniendos putamus animaduerſione Parochos, cæteroſque miniſtros, quorum inertia vſuuenit, vt fideles aliqui hoc non muniti Sacramento vitam cum morte commutent. In eius vſu oculi ſunt inungendi, aures, nares, os, manus, pedes, & renes, ſi mulieres non ſint; & illa verborum eſt integrè apponenda forma, quæ in rituali continetur, ſcilicet: per iſtã Sãctam vnctionem &c. Sacrũ oleum ſingulis annis feria V. in Cœna Domini ab Epiſcopo, oleo veteri combuſto, conſecratur. Sed ſi caſus euenerit, vt intra annum ſacrum oleum ita deficiat, vt pro omnibus ſuppetere non videatur, nec aliud habendi commoditas ſit, modicę quantitatis oleum non benedictum in maiori ſacrato fũdatur, quo ex illa mixtione defectus reparetur.

CAPVT II.

HOc Sacramentum adultis periculosa laborantibus valetudine, pueris vsum rationis habentibus similiter moribundis, & viris senectute ita confectis, vt in diem propè morituri videantur, præbendum est. Quod si salutem acquirant, & in aliud deinde vitæ discrimen reincidant; huius sacramenti præsidio poterunt iterum confirmari. Illud exhibere quacumque siue diei, siue noctis hora vocati non grauentur Parochi; quinimò ipsorum cura est, vbi infirmos viatico refecerint, perscrutari, an hoc indigeant Sacramento.

CAPVT III.

CVm hoc Sacramentum, sicut & cætera, animos gratia repleat, curandum est, ne incapacibus conferatur, videlicet publico infixis peccato, pueris ratione non vtentibus, Mulieribus partu laborantibus, ad bellum ituris, nauigantibus, peregrinari volentibus, & vltimo afficiendis supplicio; his enim omnibus negari debet hoc Sacramentum. Quod si dubium sit an ægrotus repentina morbi aggressus vi vitam exhalarit,

larit, an illam adhuc habeat: sacerdos illum inungat forma sub conditione: nec alijs precibus vtatur, aut cæremoniis, quàm, quas Romana præscripsit Ecclesia. Terminatis vnctionibus inunctas corporis partes nouo semper gossipio tergat, quod ad Ecclesiam delatum, redactumq; in cineres in sacrarium deijciatur. Verùm, si casus adeò repentinus euenier, vt vnctionem omnibus in partibus excludat, tunc ægroti frons solummodo inungatur vnica sub formula hoc modo: Quidquid per omnes sensus deliquisti &c.

CAPVT IIII.

CVrent omni diligentia Parochi, ne quid hoc tempore, quo animæ cum infirmitate, & dæmonis conflictantur insidijs, ad salutem necessarium desit: Ideoque omnibus Parochi, & spiritualis vitæ Patres semper assistant, illos solentur, salutis æternæ desiderium ingerant, incussum à Dœmone timorem depellant, hortentur, vt spem ex Dei pietate nutriant, de Numinis benignitate non desperent, lamenta domesticorum coerceant, omnes denique apponant rationes, quibus ægrotus possit adiuuari, omnesque occasiones rescecent, & amoueant, quibus infirmi poterit animus turbari.

CA-

CAPVT V.

CVm ab hoc pietatis officio temporis longitudine minister aliquis fuerit defatigatus, Parochus alios aduocet ad hoc munus idoneos; &, si quem forte renuentem inuenerit, nos statim commonefaciat. Quod si ille, qui ægritudine laborat, etiam paupertate sit oppressus, pios viros Parochus adeat, suaui illos adhortetur sermone, vt illius subueniant paupertatem.

CAPVT VI.

PLurimos apud sacerdotes inoleuit vsus, vt candelæ, quæ, dum pœnitentiales recitantur psalmi, accenduntur, summo à Parochis, & indecenti affectu, nec sine simoniæ suspicione perquirantur, & acerbe exigantur; quare mandamus, vt grato sumant animo candelas, aut aliquid aliud, quod sponte oblatum fuerit: secus ad tempus nostro arbitrio decernendum carceribus detinebuntur.

CAPVT VII.

POstremò, si fieri commodè poterit, curent

Parochi, vt propè lectulũ, in quo decumbit ęgrotus, mensa paretur, mundis cooperta mappis, in qua Sacri Olei vasculum collocetur. Tot itidẽ in peluicula adsint ex gossipio globuli, quot sunt tergendæ corporis partes. Panis itidem medulla, & lymphæ vas, quibus ab oleo digiti Sacerdotis abstergantur. Quæ omnia deinde vna cum globulis ad Ecclesiam secum deferens, in cineres redigat, & in sacrarium deponat.

DE SACRAMENTO ORDINIS
Caput I.

ADmoniti à nobis Parochi breui ordines collaturis, die Dominico, qui quatuor Ieiunij tempora præcedit, & solemne ieiunium, & ordinationem proximè à nobis habendam populis denuncient. In sua qualibet Ecclesia, preces ad Deum effundant, litanias summa deuotione recitent, Deumque summis precibus precentur, vt idoneos in suam mittat vineam operarios, & lumine mentem illuminet nostram, vt eos tantum in Cleri adscribamus numerum, qui Ecclesiæ possint esse adiumento.

CAPVT II.

OPus eſt, vt qui prima tōſura initiari cupiūt, confirmationis ſacramētum ſuſceperint, fidei rudimenta calluerint, ſcribendi, & curſim legendi peritia fuerint inſtructi. De ipſis etiam coniectare debemus, hoc vitæ genus illos delegiſſe, vt Deo ſe deuouerent, non vt ſæcularis iudicij ſententias, & authoritatem declinarent. Quod ſi dubium ſit, huius generis homines aliquo implicari impedimento, quod nos prætereat, eorum deſiderium publicè in Eccleſia à Parochis propaletur; quod ſi quis aliquod nouerit impedimentum, ad nos vlla ſine mora referat: quod cum illis etiam eſt faciendum, qui clericalem habitum ſemel iam dimiſſum reaſſumere diſcupiunt. Si qui ante obtentam à nobis facultatem tonſuræ, aut clericorum inſignia fuerit auſus deferre, illi hæc temeritas vncias decē ſtabit.

CAPVT III.

AMouendi ſunt ex ſacrorum Canorum Decretis à tonſuræ ſuſceptione non baptizati, neophyti, mulieres, ſerui, publicis illigati negotijs, ære alieno obſtricti, aliqua irretiti cenſura,

sura, aliquo publico infames crimine, irregulares, bigami, Eunuchi, qui vel se secuere, vel sectioni consensere, corpore distormes, aut membri alicuius defectum patientes, spurij, vxorati, amentes, furiosi, comitiali laborantes morbo, immundis vexati spiritibus, etiam si in præsentia non vexentur; quare qui ordines sunt suscepturi, his se affectos nõ esse impedimentis fideli testium declaratione, debent attestari.

CAPVT IIII.

VT Clerici etiam coniugati fori priuilegio [illegible] perfruantur, habitum, & tonsuram opus est, vt deferant clericalem, & alicui Ecclesiæ, cui nostro de mandato sunt adscripti, assiduè seruiant. Ideoque, qui primam suscepture tonsuram, vel illa sunt initiandi Ecclesiæ Cathedrali in Vrbe, matricibus in Diœcesi sunt adscribendi: nisi aliter nobis visum fuerit. Si verò fuerit aliquis alteri loco, aut Ecclesiæ Parochiali à nobis destinatus, hoc intelligi volumus sine Cathedrali, & Matricum offensione, ac præiudicio.

CAPVT V.

QVi exoptant ad minores ordines promo-

ueri,

teri, Parochi, & ludi magistri fidem habere debent, vt notum nobis sit, an doctrinæ sedulam nauauerint operam, mores compositos habeant, superiores humili docilitate reuereantur, Confessionis, & Communionis sacramenta frequentent.

CAPVT. VI.

AD maiores euehendi Ordines, vbi renunciatum fuerit, illos nos esse administraturos, ad nos se conferant, vt viri fide digni, quibus eos tradems, dignoscere possint ipsorum natalia, ætatem, mores, desiderium Ecclesiæ seruiendi, an laude se in minoribus exercuerint ordinibus, an litteris profecerint, an Dei adiutorio castimoniam custodire illæsam possint; an eorum vita talis fuerit, vt proba sit sequutura senectus: an verò aliquod habeant impedimentum, quo sint ab huius Sacramenti participatione submouendi. Ideòque ter inter Missarum solemnia festorum dierum denunciationes fiant, vt nos deinde tuta possimus conscientia ordines impertire, & his sine testimonijs nullus ad nos audeat se conferre. Parochi autem, & alij à nobis deputādi, cùm hæc omnia sunt exequuturi amorem, odium deponant, nullo alliciantur præmio, nullo metu deterreantur (si secus egerint, abso-

lutionem huius criminis tantummodo à nobis habere posſũt) Et vbi hæc omnia diligẽti inquisitione perspexerint, occlusas, & signatas secretè ad nos transmittant litteras, in quibus nos etiam reddant certiores, an Gregoriani cantus peritia sint instructi. Caueant postremò, ne vlla mercede, sed gratuito hæc faciant animo; secus excommunicatione illos puniemus.

CAPVT VII.

VT quæ oriri solet, amoueatur indecentia, si diuinis adscripti ministerijs stipem corrogent, aut sordidos quæstus faciant; ideo nullus sæcularis clericus, etiam si moribus, ætate, & scientia sit idoneus, ad Subdiaconi gradum admoueri potest, nisi prius in nostra curia legitimè constiterit, ipsum pacificè aliquod beneficium possidere, pensionem, aut patrimonium ad honestam vitæ substentationem sufficiens habere (nisi aliud Ecclesiæ necessitas exegerit) si verò Regulares ad superiores promouendi sint ordines, & superiorum licentiam, & fidem deferant, qua notum nobis fiat, illos in approbata Religione professionem emisisse, & vota nuncupasse. Ne autem vlla sit in magnitudine beneficij, vel Patrimonij dubietas, illud sufficiens esse decla-

ramus, quod vncias duodecim singulis annis excedit, deductis oneribus, & expensis, & quod vlla sine contentione possidetur. Donatores autem facere assignationem debent de rebus alijs non assignatis, alteri non obligatis, & quarum ipsi vere, & vlla sine fraude domini sint, sub pœna excõmunicationis. Promouendi iureiurando se debent obstringere asserentes, se bona assignata nunquã resignaturos, aut alio quouis pacto a se abalienaturos, nec illis obligationem vllam imposituros; nisi vnde viuere possint, habeant, & cum nostra in scriptis facultate; secus ipso facto suspẽsi sũt. Quod si in memorato patrimonio decernẽdo fraus, fictio, simulatio, aut aliqua illicita intercesserit pactio, non modo iuris, & facti pœnas incurrent, sed laici ipso facto ingressu Ecclesiæ interdicuntur, & promouendi ab ordinum exequutione eo ipso suspenduntur, & ad maiores ordines redduntur inepti. Atque ob id patrimonia imposterum confecta inter Missarum solemnia à Parochis publicentur, & hac fide publica sunt deferendi. Et ne adhuc possit esse fraudi locus: qui talia ficta esse patrimonia nouerit, nobis id vitium reuelare sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ tenetur. Insuper iuramentum intercedat tùm eius, qui promouendus est, tùm illius, qui bona prædicta essi-

assignat publico confectum instrumento, in quo vtraque pars iurare debet, illam donationem, seù assignationem fictitiam, aut fraudulentam non esse, sed veram, synceram, legitimam, & realem; nullam etiã intercessisse pollicitationem, pactionem, aut contractum initum, aut ineundum, quo possit dicta donatio, vel redditus immutari, aut perturbari possessio. Qui verò aliquam fraudem continentes contractus instruxerint, & excõmunicatione latæ sententiæ irretiuntur, & alijs nostro arbitrio pœnis subiacebunt. Testes verò, qui his de patrimonijs referunt, & vt vulgò dicitur, deponunt, manifestare debent, quot sint oneribus oppressa, an soluti fuerint decursus, & quo tempore: aliter promouendi non admittentur, & simul cum assignatoribus, & testibus excõmunicationẽ latæ sententiæ inibunt; & summa Patrimonij in casu reluitionis penes generalem depositarium à nobis deputandũ semper sit. Denique Beneficia, quorum titulo quis fuit sacris inauguratus, resignari, extingui, alienari, vel distrahi nequeunt, nisi prius nobis constet, resignantem habere, vnde commodè vitam traducat. Item irritas reddimus cessiones, atque alienationes omni robore firmitatis carentes, & asserimus, beneficia, pensiones, aut patrimonia contra Tridentini formam renunciantes tanto

tem-

tempore à susceptis ordinibus permanere suspē-sos, quousq; verum sibi acquisierint titulum, aut dissipata recuperarint bona. Qui verò falsę assertioni fauerint testimonijs, auxilijs, aut consilio, de proprijs fortunis alimenta in sacris constituto præbere cogendi sunt.

CAPVT VIII.

QVando quis ad Sacerdotij cupit dignitatem promoueri, diligenti inquirendum est disquisitione, an castis, & benè ad virtutē compositis viuat moribus, an vitæ sectetur innocentiam, an denique talis existat, qui cæteris exemplo possit esse. Sacerdotio insigniti sacra facere non possint, nisi cæremonias ab aliquo illarum peritissimo didicerint, & a nobis, vel a nostro Generali Vicario approbationē prius obtinuerint.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.
Caput I.

CHristus Dominus Nuptiarum leges à mundi primordijs promulgatas ad Sacramenti dignitatem euexit; ideoque summa pietate tractandæ. Et quamuis istius Sacramenti ministri ipsi contrahentes sint; tamen, vt omnibus, quæ

in clandestinis exerceri solent matrimonijs; occluderetur fraudibus aditus, sapientissimè Tridentinum sanxit Concilium, vt connubia non celebrentur, aut contrahantur, & contracta nulla sint, nisi Parochus, vel alius Sacerdos cum Episcopi, vel Parochi ipsius licētia, & duo ad minus testes interfuerint. At, si ante publicè factas denunciationes, præsente Parocho mutuum aliqui præbuere consensum, in Excōmunicationis subsidium vncias erunt centum soluturi.

CAPVT II.

QVoniam nonnullorū scelerata tantum creuit improbitas, vt prima relicta vxore alteram, & quod absurdius est, sæpè plures viuente adhuc prima diuersis ducant in locis; vel emissa in probatis Religionibus professione Deo relicto ad carnale trāsire non metuunt matrimonium; edicimus, ne ij, qui incertis vagantur sedibus, aut quouis modo exteri peregrinātur, ad matrimonia ineunda admittantur: neque denunciationes in Ecclesijs publicentur, nisi facultatem à nobis fuerint antea consequuti; quod ideo tā seuerè mādamus, vt exactius ad tāti ponderis negotium a nobis discutiatur, an aliquod lateat dolosè impedimētum. Hac etiam de causa Vi-

sa Vicarijs prohibemus foraneis, ne exterorum, qui alienæ sunt Diœcesis, pro matrimonijs contrahendis testes recipiant, aut à quoquam recipi patiantur: nisi expressa fuerit à nobis concessa facultas, sub pœna vnciarum decem. Quod si à nostris delegatis cum Iudicis præsentia talia fuerint recepta testimonia, testes bene cogniti debent esse, secus nullo modo admittendi, sub eadem pœna.

CAPVT III.

SI, cum solẽnes sunt adhibendæ matrimonijs cæremoniæ, graue suboriatur dubium: an scilicet vir pubes, & mulier viri potẽs sit: an omni cum libertate, vel metu obstricti reuerentiali contrahant: an data fuerit alteri fides de nuptijs celebrandis, vel quid his simile occurrat; Parochi suo nimis non fidant ingenio, sed properè ortas nobis detegant difficultates, vt maturè discussis, quod æquius visum fuerit, decernatur; & interea temporis denunciationes suspendantur. In his autem denunciationibus ante matrimonium faciendis ad vnguem Parochi Tridentini Concilij statuta custodiant, vt scilicet tribus festiuis, & de præcepto diebus fiant, & sponsalia prius de consensu sponsi, & sponsæ sint inita. Et hæc in

re cautus esse debet Parochus, & vti debet de futuro verbis, ne sermone de præsenti non seruatis solemnitatibus matrimonia contrahantur: fidem autem denunciationum, quæ iam populis fuerunt euulgatę, illicò dare tenetur Parochus, si requiratur, secus vncias quadraginta erit soluturus. Si verò sponsi distinctis commorantur in parœcijs, in vtriusque Parochiali Ecclesia denunciationes sunt faciendæ; nec vlla sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij licẽtia denũciatio omittatur. Quod si ex grauissima causa, quæ nos ad talem dandã vrgeat facultatem, aliqua denunciatio fuerit omissa, post contractum quidem verbis de præsenti matrimonium, ante tamen consumationem est adimplenda. Caueant diligenter, ne ante contractum in facie Ecclesiæ, vt loqui solemus, matrimonium perficiant, aut vna in domo cohabitent: & populi in denunciationibus admoneantur, vt sub poena excommunicationis latæ sententiæ nobis, vel Parocho deferant, si quod inter cõiuges intercedere nouerint impedimentum. Et si quis fide dignus inter matrimonio iungendos aliquod deferat impedimentum, Parochus ad vlteriora non progrediatur, sed Vicarium adeat foraneum, eumque certiorem reddat, vt susceptam ille in scriptis reuelationem ad nos transmittat, & no-

strum

ſtrum expectet iudicium. Quod ſi Coniugium ſecundum Eccleſiæ ritus factum fuerit, & dirimens ita pluribus innoteſcat impedimentum, vt Coniuges nequeant ſine ſcandalo cohabitare, citiſſime Parochus totum negotium nobis adaperiat, & illis iniungat grauiſſimis ſub poenis, vt honeſta quęſita occaſione ſimul non habitent. Et quoniam ſępè falsè confinguntur rationes, & ſępe impedimenta hominum inuidię moliuntur, vt matrimonia impediantur; notum facimus omnibus, falſarios pręter pœnas à iure inflictas etiam excommunicatione innodari.

CAPVT IV.

PArochus matrimonio affuturus, antequam fiant denunciationes, diligenter inueſtiget; an Coniuges Paſchatis præceptum adimpleuerint & ſi non adimpletum inuenerit, vt adimpleatur, conetur; an fidei benè calleant rudimenta, ſin minus, illos edoceat; an vir decimum quartum, mulier duodecimum annum expleuerint: quę ſi peragere contempſerit, & ineptos coniunxerit in matrimonium, grauiſſimis punietur pœnis. Verùm, vt ab Apoſtolorum inducta tempore conſuetudo continuetur, ſine proprij Sacerdotis benedictione nuptię non celebrentur, & matri-

monia non contrahantur; in quibus Ritualis seruanda forma est, videlicet, vt hæc munia diebus, & tempore ab Ecclesia non vetito exerceantur. Transacto prohibitionis tempore intra mensem Parochus in Missa iuxta Ritualis Romani præscripta eos, qui benedictione carent, benedicat.

CAPVT V.

TAm insolēter plerique superbiūt, vt neglectis Dei Templis domi tantum contrahere matrimonia præsumant: Idcirco omnes posthac quacunque dignitate fulgeant, quibuscumque sint titulis insigniti, nexu matrimonij die, & in Ecclesia tantū copulentur. Et si quando nostram in scriptis licentiam concesserimus, vt domi perficiantur, eleemosyna, quæ pro matrimonio tribui consueuit, Parocho duplicetur: & luminaria, si quæ aderunt, ipsimet contradantur. Et vt omnis ambiguitas extirpetur, & omnes eradicentur difficultates, quæ ex metu præsumpto, ex vi, aut alio quouis capite exoriuntur. Parochus assensum actualem à sponsa per verba affirmatiua exigat, & non per nutum, aut silentium: quod etiam necessarium est, vt ipsi testes aduertant.

CAPVT VI.

PArochus explicare debet, quàm sanctè matrimonij Sacramentum sit tractandum; quam absurdum sit vanis, & inutilibus conuiuijs, choreis, alijsque, quæ ad peccata aditus patefaciunt, iocis tempus insumere; quam castè in illo sit vita semper traducenda; quam vtile sit tribus ante matrimonium diebus Sacro ferculo refici, & nocte, quæ præcedit communionem, à coniugali copula se cohibere: Viris vt insinuare debet vxores non vt ancillas, sed vt socias, & insolubili secum illigatas matrimonij nexu tractandas: Sic etiam vxoribus sæpius inculcet, vt viros amore prosequantur, & reuerentia illorum præceptis obtemperent. Quod si ob efferam viri sæuitiam, vel adulterij, aut iustam ob aliam causam vna simul in domo cohabitare nequiuerint, non propria id authoritate exequantur; sed sententia nostræ magnæ curiæ iudiciali prolata tenore est expectanda, vt ab inuicem seiungantur.

CAPVT VII.

SVb excommunicatione, latæ sententiæ coniuges nobis inconsultis non separentur, eti-

amsi

eo si id vterque omnibus votis expetierit, & tota consenserit voluntate. Si qui disiunctis vitam traducunt in domibus, vir ad vxorem, vxor ad virum vnum intra mensem reuertatur; & vna in deo o vitã trar figant, nec vlterius sub eadem pœna separentur. Qui ad disiunctionem auxilium, fauorem præstiterit, & consilium, siue directè, siue indirectè eadem pœna ligabitur.

CAPVT VIII.

Eò multorum existit temeritas, vt Dei legibus neglectis in vetito Canonicis constitutionibus gradu matrimonia cõtrahere nitantur; aut cum monialibus, quæ professionem emisere coniungi; nec non aliquando moniales ipsæ, & Clerici sacris promoti nexu se matrimonij ca stringere non vereãtur; idcircò his omnibus, qui tantum audere facinus non extimescunt, notum sit, ipsos ipso facto excommunicatione Clementis V. innodari. Et vt ignorantiæ locus esse non possit, curet Parochus impedimenta sæpius populis explicare; quod vt facilius exequatur, ordine digesta hic nobis visum est impedimenta subscribere.



CAPVT IX.

QVoniam sæpè in gradu Ecclesiasticis statutis vetito matrimonia ex graduū ignoratione celebrātur; optimum operæpretium nos facturos putamus, si consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, & legalis gradus, habitudinem, distantiam subtexamus; vt compertum sit omnibus, illos inter, qui figuris his ce expressè notantur, siue ascendentium, siue descendentium impedimenta intercedere; si verò gradus remotior ab his sit, qui his describūtur in tabellis, tutus esse quisq; se potest, nulla se religione turbari.



LINEA CONSANGUINITATIS RECTA


Atauus Atauia *Quartus Gradus*
Abauus Abauia *Tertius Gradus*
Proauus Proauia *Secundus Gradus*
Auus Auia *Primus Gradus*
PRIMI STIPITES Pater Mater
Filius Filia *Primus Gradus*
Nepos Neptis *Secundus Gradus*
Pronepos Proneptis *Tertius Gradus*
Abnepos Abneptis *Quartus Gradus.*

LINEA CONSANGVINITATIS
Transuersa, seu collateralium

	Pater Mater	
	Stipites	
Filius	Frater, & Soror	Filia
	Primus Gradus	
Nepos	Consobrini primi	Neptis
	Secundus Gradus	
Pronepos	Consobrini secundi	Proneptis
	Tertius Gradus	
Abnepos	Consobrini tertij	Abneptis
	Quartus Gradus	

Caput X. De Affinitate.

CVm affinitas ex consanguinitate per carnalem exoriatur copulam, illius etiam gradus æmulatur: vnde si ex legitimo fuerit orta matrimonio, à primo vsque ad quartum inclusiuè gradum dilatatur: Si verò ortum ex copula fornicaria habuerit, secundum includit, & in gradu vlteriori nullum creat impedimentum, vt colligere quisque poterit ex hac figura.



ORI-

ORIGO AFFINITATIS

Vir *& Femina*

coniuncti.

mater, aut soror feminae	*Primus Gradus*	*Pater, aut frater viri*
neptis feminae	*Secundus Gradus*	*nepos viri*
proneptis feminae	*Tertius Gradus*	*pronepos viri*
Abneptis feminae	*Quartus Gradus*	*abnepos viri*

assignat publico confectum instrumento, in quo vtraque pars iurare debet, illam donationem, seu assignationem fictitiam, aut fraudulentam non esse, sed veram, synceram, legitimam, & realem; nullam etiã intercessisse pollicitationem, pactionem, aut contractum initum, aut ineundum, quo possit dicta donatio, vel redditus immutari, aut perturbari possessio. Qui verò aliquam fraudem continentes contractus instruxerint, & excõmunicatione latæ sententiæ irretiuntur, & alijs nostro arbitrio pœnis subiacebunt. Testes verò, qui his de patrimonijs referunt, & vt vulgò dicitur, deponunt, manifestare debent, quot sint oneribus oppressa, an soluti fuerint decursus, & quo tempore: aliter promouendi non admittentur, & simul cum assignatoribus, & testibus excõmunicationẽ latæ sententiæ inibunt; & summa Patrimonij in casu reluitionis penes generalem depositarium à nobis deputandũ semper sit. Denique Beneficia, quorum titulo quis fuit sacris inauguratus, resignari, extingui, alienari, vel distrahi nequeunt, nisi prius nobis constet, resignantem habere, vnde commodè vitam traducat. Item irritas reddimus cessiones, atque alienationes omni robore firmitatis carentes, & asserimus, beneficia, pensiones, aut patrimonia contra Tridentini formam renunciantes tanto

tem-

tempore à susceptis ordinibus permanere suspē-
sos, quousq; verum sibi acquisierint titulum, aut
dissipata recuperarint bona. Qui verò falsę asser-
tioni fauerint testimonijs, auxilijs, aut consilio,
de proprijs fortunis alimenta in sacris constitu-
to præbere cogendi sunt.

CAPVT VIII.

QVando quis ad Sacerdotij cupit dignitatem promoueri, diligenti inquirendum est disquisitione, an castis, & benè ad virtutē compositis viuat moribus, an vitæ sectetur innocentiam, an denique talis existat; qui cæteris exemplo possit esse. Sacerdotio insigniti sacra facere non presumant, nisi cæremonias ab aliquo illarum peritissimo didicerint, & a nobis, vel a nostro Generali Vicario approbationē prius obtinuerint.

DE SACRAMENTO MATRIMONII. Caput I.

CHristus Dominus Nuptiarum leges à mundi primordijs promulgatas ad Sacramenti dignitatem euexit; ideoque summa pietate tractandæ. Et quamuis istius Sacramenti ministri ipsi contrahentes sint; tamen, vt omnibus, quæ

in

in clandestinis exerceri solent matrimonijs; occluderetur fraudibus aditus, sapientissimè Tridentinum sanxit Conciliũ, vt connubia non celebrentur, aut contrahantur, & contracta nulla sint, nisi Parochus, vel alius Sacerdos cum Episcopi, vel Parochi ipsius licẽtia, & duo ad minus testes interfuerint. At, si ante publicè factas denunciationes, præsente Parocho mutuum aliqui præbuere consensum, in Excõmunicationis subsidium uncias erunt centum soluturi.

CAPVT II.

QVoniam nonnullorũ scelerata tantum creuit improbitas, vt prima relicta vxore alteram, & quod absurdius est, sæpè plures viuente adhuc prima diuersis ducant in locis; vel emissa in probatis Religionibus professione Deo relicto ad carnale trãsire non metuunt matrimonium; edicimus, ne ij, qui incertis vagantur sedibus, aut quouis modo exteri peregrinãtur, ad matrimonia ineunda admittantur: neque denunciationes in Ecclesijs publicentur, nisi facultatem à nobis fuerint antea consequuti; quod ideo tã seuerè mãdamus, vt exactius ad tãti ponderis negotium a nobis discutiatur, an aliquod lateat dolosè impedimẽtum. Hac etiam de causa Vi-

sa Vicarijs prohibemus foraneis, ne exterorum, qui alienæ sunt Diœcesis, pro matrimonijs contrahendis testes recipiant, aut à quoquam recipi patiantur: nisi expressa fuerit à nobis concessa facultas, sub pœna vnciarum decem. Quod si à nostris delegatis cum Iudicis præsentia talia fuerint recepta testimonia, testes bene cogniti debent esse, secus nullo modo admittendi, sub eadem pœna.

CAPVT III.

SI, cum solēnes sunt adhibendæ matrimonijs cæremoniæ, graue suboriatur dubium: an scilicet vir pubes, & mulier viri potēs sit: an omni cum libertate, vel metu obstricti reuerentiali contrahant: an data fuerit alteri fides de nuptijs celebrandis, vel quid his simile occurrat; Parochi suo nimis non fidant ingenio, sed properè ortas nobis detegant difficultates, vt maturè discussis, quod æquius visum fuerit, decernatur; & interea temporis denunciationes suspendantur. In his autem denunciationibus ante matrimonium faciendis ad vnguem Parochi Tridentini Concilij statuta custodiant, vt scilicet tribus festiuis, & de præcepto diebus fiant, & sponsalia prius de consensu sponsi, & sponsæ sint inita. Et hæc in

re cautus esse debet Parochus, & vti debet de futuro verbis, ne sermone de præsenti non seruatis solemnitatibus matrimonia contrahantur: fidem autem denunciationum, quæ iam populis fuerunt euulgatę, illicò dare tenetur Parochus, si requiratur, secus vncias quadraginta erit soluturus. Si verò sponsi distinctis commorantur in parœcijs, in vtriusque Parochiali Ecclesia denunciationes sunt faciendæ; nec vlla sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij licẽtia denũciatio omittatur. Quod si ex grauissima causa, quæ nos ad talem dandã vrgeat facultatem, aliqua denunciatio fuerit omissa, post contractum quidem verbis de præsenti matrimonium, ante tamen consumationem est adimplenda. Caueant diligenter, ne ante contractum in facie Ecclesiæ, vt loqui solemus, matrimonium perficiant, aut vna in domo cohabitent: & populi in denunciationibus admoneantur, vt sub poena excommunicationis latæ sententiæ nobis, vel Parocho deferant, si quod inter cõiuges intercedere nouerint impedimentum. Et si quis fide dignus inter matrimonio iungendos aliquod deferat impedimentum, Parochus ad vlteriora non progrediatur, sed Vicarium adeat foraneum, eumque certiorem reddat, vt susceptam ille in scriptis reuelationem ad nos transmittat, & no-

strum

strum expectet iudicium. Quod si Coniugium secundum Ecclesiæ ritus factum fuerit, & dirimens ita pluribus innotescat impedimentum, vt Coniuges nequeant sine scandalo cohabitare, citissime Parochus totum negotium nobis adaperiat, & illis iniungat grauissimis sub poenis, vt honesta quęsita occasione simul non habitent. Et quoniam sępè falsè confinguntur rationes, & sępe impedimenta hominum inuidię moliuntur, vt matrimonia impediantur; notum facimus omnibus, falsarios pręter pœnas à iure inflictas etiam excommunicatione innodari.

CAPVT IV.

Parochus matrimonio affuturus, antequam fiant denunciationes, diligenter inuestiget; an Coniuges Paschatis præceptum adimpleuerint & si non adimpletum inuenerit, vt adimpleatur, conetur; an fidei benè calleant rudimenta, sin minus, illos edoceat; an vir decimum quartum, mulier duodecimum annum expleuerint: quę si peragere contempserit, & ineptos coniunxerit in matrimonium, grauissimis punietur pœnis. Verùm, vt ab Apostolorum inducta tempore consuetudo continuetur, sine proprij Sacerdotis benedictione nuptię non celebrentur, & matri-

CAPVT VI.

PArochus explicare debet, quàm sàctè matrimonij Sacramentum sit tractandum; quam absurdum sit vanis, & inutilibus conuiuijs, choreis, alijsque, quæ ad peccata aditus patefaciunt, iocis tempus insumere; quam castè in illo sit vita semper traducenda; quam vtile sit tribus ante matrimonium diebus Sacro ferculo refici, & nocte, quæ præcedit communionem, à coniugali copula se cohibere. Viris vt insinuare debet vxores non vt ancillas, sed vt socias, & insolubili secum alligatas matrimonij nexu tractandas: Sic etiam vxoribus sæpius inculcet, vt viros amore prosequantur, & reuerentia illorum præceptis obtemperent. Quod si ob alterutram viri sæuitiam, vel adulterij, aut iustam ob aliam caulam vna simul in domo cohabitare nequiuerint, non propria id authoritate exequantur; sed sententia nostræ magnæ curiæ iudiciali prolata tenore est expectanda, vt ab inuicem seiungantur.

CAPVT VII.

SVb excommunicatione, latæ sententiæ coniuges nobis inconsultis non separentur, etiamsi

no si id vterque omnibus votis expetierit, & tota consenserit voluntate. Si qui disiunctis vitam traducunt in domibus, vir ad vxorem, vxor ad virum vnum intra mensem reuertatur; & vna in eodem vitā transigant, nec vlterius sub eadem pœna separentur. Qui ad disiunctionem auxilium, fauorem praestiterit, & consilium, siue directè, siue indirectè eadem pœna ligabitur.

CAPVT VIII.

Eò multorum existit temeritas, vt Dei legibus neglectis in vetito Canonicis constituentibus gradu matrimonia contrahere nitantur; aut cum monialibus, quæ professionem emisere coniungi; nec non aliquando moniales ipsæ; & Clerici sacris promoti nexu se matrimonij constringere non vereantur; idcircò his omnibus, qui tantum audere facinus non extimescunt, notum sit, ipsos ipso facto excommunicatione Clementis V. innodari. Et vt ignorantiæ locus esse non possit, curet Parochus impedimenta sæpius populis explicare; quod vt facilius exequatur, ordine digesta hic nobis visum est impedimenta subscribere.



CA-

CAPVT IX.

QVoniam sæpè in gradu Ecclesiasticis statutis vetito matrimonia ex graduũ ignoratione celebrãtur; optimum operæpretium nos facturos putamus, si consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, & legalis gradus, habitudinem, distantiam subtexamus; vt compertum sit omnibus, illos inter, qui figuris hisce expresse notantur, siue ascendentium, siue descendentium impedimenta intercedere; si verò gradus remotior ab his sit, qui his describũtur in tabellis, tutus esse quisq se potest, nulla se religione turbari.



LINEA CONSANGVINITATIS RECTA

Atauus Atauia
Quartus Gradus

Abauus Abauia
Tertius Gradus

Proauus
Proauia
Secundus Gradus

Auus
Auia
Primus Gradus

PRIMI STIPITES
Pater
Mater

Filius
Filia
Primus Gradus

Nepos
Neptis
Secundus Gradus

Pronepos Proneptis
Tertius Gradus


Abnepos Abneptis
Quartus Gradus.

LINEA CONSANGVINITATIS
Transuersa, seu collateralium

	Pater Mater	
	Stipites	
Filius	Frater, & Soror	Filia
	Primus Gradus	
Nepos	Consobrini primi	Neptis
	Secundus Gradus	
Pronepos	Consobrini secundi	Proneptis
	Tertius Gradus	
Abnepos	Consobrini tertij	Abneptis
	Quartus Gradus	

Caput X. De Affinitate.

CVm affinitas ex consanguinitate per carnalem exoriatur copulam, illius etiam gradus æmulatur: vnde si ex legitimo fuerit orta matrimonio, à primo vsque ad quartum inclusiuè gradum dilatatur: Si vero ortum ex copula fornicaria habuerit, secundum includit, & in gradu vlteriori nullum creat impedimentum, vt colligere quisque poterit ex hac figura.



ORIGO AFFINITATIS

Vir & *Femina*
coniuncti.

mater, aut soror femine	*Primus Gradus*	*Pater, aut frater viri*
nepis femine	*Secundus Gradus*	*nepos viri*
pronepis femine	*Tertius Gradus*	*pronepos viri*
Abnepis femine	*Quartus Gradus*	*abnepos viri*

Caput XI. De Cognatione Spirituali.

SIcut ex naturali, & carnali generatione surgit Consanguinitas, sic ex spirituali per Baptismum, & Sacrum Chrisma oboritur cognatio, quæ inter Baptizatum, vel Confirmatum, & Baptizantes, vel Cōfirmantes, inter suscipientes, & parentes baptizati, & confirmati versatur: vnde illud euenit, vt omnes enumerati matrimonia cōtrahere nullo modo inter se valeant.

FIGVRA COGNATIONIS SPIRITVALIS per quam contrahunt tale impedimentum

Tum	Tum
Persona confirmata, eiusque Pater, ac Mater cum confirmante, & susceptore in cōfirmatione.	Persona baptizata, eiusque Pater, ac Mater cum baptizante, & susceptoribus in baptismo.



Caput XII. De Cognatione Legali.

PEr adoptionem consanguineus, & affinis redditur, qui naturaliter talis non erat: Vnde ex ipsa quædam proximitas, & necessitudo introducitur, quæ aliquando ad tempus, nonnunquam perpetua parturit impedimenta.

FIGVRA COGNATIONIS LEGALIS, per quam contrahuntur impedimentum.

Tum	Tum
Persona adoptans cum adoptato, huiusq; vxore, ac filijs, aut nepotibus vsque ad quartum gradum.	Persona adoptata cũ adoptante, hujusque vxore, ac filijs carnalibus.



Caput

Caput XIII. De Publica Honestate.

PVblicæ honestatis impedimentum non ex cõsanguinitate, vel affinitate proficiscitur, sed ex quadam iustitia, & decore, quæ in matrimonio perpenduntur, ex validis videlicet sponsalibus de futuro, quod vltra primũ ex Tridentini dispositione, nõ extenditur gradu; & ex matrimonio rato, non dum tamen consumato, aliter esset affinitas, vt colligi poterit ex subscriptis regulis.

FIGVRA PVBLICAE HONESTATIS
per quam contrahunt tale impedimentum.

Tum	Tum
Sponsa de præsenti cũ consanguineis spõsi vsq; ad quartum gradum; & spõsus pariter de præsenti cum consanguineis spõsę quamuis demortuæ vsq; ad quartũ item gradum.	Sponsa de futuro cum consanguineo in primo gradu sponsi quamuis demortui; & sponsus adhuc de futuro cum consanguinea in primo gradu sponsæ siue viuentis, siue item mortuæ.

CA-

CAPVT VIIII.

NE suæ auctoritatis limites vltra, quàm pars est, Parochi, vel Sacerdotes protendant: nullus alienæ parœciæ subiectos sine nostra, aut Parochi licentia, matrimonio iungat, aut nuptias solemniter benedicat: vt neque à Domini Aduentu ad Epiphaniam, & à quarta Cinerum feria ad Paschatis octauam inclusiuè solemnis tribui solet benedictio. Contrarium ausus ab officio, & Beneficio ad tempus nostro arbitrio decernendum suspenditur.

CAPVT XV.

SOlerter, & summa cum diligentia Vicarius noster Generalis impetratas à sede Apostolica in matrimonij impedimentis dispensationes discutiat: serio scrutetur, an aliqua lateat fraus, an causa veritati innitatur, an rationes ad dispensationem obtinendam re vera tales existant, quibus illa concedatur. Cùm dispensationes, vt dicimus, expediuntur, & exequutioni mandantur, nullo prætexu aliquid etiam sponte oblatum recipiatur, nisi quod Notarij laborem iuxta mercedem compenset. Si qui vero dispen-

ſatione adhuc non obtenta carnalem exercuerit copulam, etiamſi illam impetrant, illius gratia perfrui prohibetur.

CAPVT XVI.

VBi contracta fuerint, & in facie Eccleſiæ ſolemniter celebrata matrimonia, Parochus coniugum nomina in libello ad id muneris deſtinato propria manu deſcribet; & iuxta Ritualis Romani præſcripta teſtes apponat, & appingat: aliter faciens quarta parte fructuum beneficij priuetur.

CAPVT XVII.

SI quis ab aliena Diœceſi profectus aliquam ſecum detulerit mulierem, quam cum matrimonio ſe iunctum aſſeueret, tunc, ſi Parocho de huius rei veritate aliqua ſuborietur ſuſpicio, & iudicio non improbabili concubinam eſſe coniectarit, fidem matrimonij ſibi demonſtrandam depoſcat: ſecùs vti concubinarium noſtro Vicario Foraneo deferat, & mulctet.

CAPVT XVIII.

HIc nostra in Diœcesi nimium inoleuit abusus: vt, cùm secundas inire Viduæ nuptias, dissoluti circumstrepant clamores, & à personis haud honestæ vitæ conuentus, & cantilenæ ante coniugum domos noctis tempore habeãtur; prohibemus igitur sub pœna vnciarum sex, ne similes in posterum dissolutiones exerceantur.

CAPVT XIX.

SPonsalia etiam de futuro mutuo consensu partium contracta non aliter, quàm Iudicio nostræ magnæ curiæ, dissoluantur; quod si eo non accepto sponsi cum alijs se connubio copulauerint, anathemate feriantur.

DE DIVINO CVLTV. Caput I.

DEi domus Templa sunt: quapropter summa in illis elucere debet sanctitas; volumus itaque, vt singulis in Ecclesijs Parochialibus, nostra itidem in Cathedrali, & omnibus Diœcesis nostræ Collegiatis ad minimas vsque minutias ritus, & cæremoniæ à Romano Cæremoniali,

niali præscriptæ custodiantur; quo si quæ Templa carent, vnum intra mensem sibi coemant: nisi vncias soluere velint duas. Sub pœna similiter vnius vnciæ, diuino applicandæ cultui post Missas, & Vespertinas preces Ecclesiæ fores Sacristę occludant, pauimentum, & Chorum sæpius scopis emundent, & euerrant, telas aranearum expurgent; sepulchra obserata teneant; & si quæ supra pauimẽtum eminent, solo statim coæquẽt. Si vero subtus aras sepulchra fuerint, quo vsque cadauera exhumentur, & alijs condantur in sepulchris, altaria, & monumenta interdicuntur, secus ij, quorum interest, duarum vnciarum pęna multabuntur. Interdicimus omnibus etiam Regularibus, ne defunctorũ corpora de loco ad locum transferant absque nostra in scriptis licentia; ne occisorum corpora semel in Ecclesiam illata, à quoquam inspici, aut recognosci permittatur: cum verò ex nostra licentia extra Ecclesiam cadauera transferuntur, testes non sunt in Ecclesia examinandi, nec vllus actus, qui ad forum pertineat sæcularem, est faciendus sub pęna excommunicationis latæ sententiæ.

CAPVT II.

Picturæ illustrium personarum, imagines pa-

rum honestis coloratæ habitibus, sculpturæ; omnia denique, quæ sanctos non exprimunt delineamenta, sub pœna Excommunicationis in Ecclesijs non detineantur. Corrosæ vetustatis statuæ, Crucis signa, & Dei nomen solo incisum, vel indecoro alio in loco depictum, intra mensis spatiũ auferantur. Et, si Vicarij Foranei posthac similes res incidi, vel penicillo, aut alio modo pingi sinent, vncias pendent duas. Et sub pœna interdicti Ecclesię ipso facto homines personati viros illustres, Imperatores, Senatores, & huius generis homines exprimentes in Ecclesijs etiam Regularium ad funtiones non admittantur.

CAPVT III.

SVb excommunicationis pœna nostra sine licentia nullum in Ecclesijs etiam Regularũ (nisi in locis exemptis) de nouo construatur a Laicis ædificium, ne vllum parochiali Ecclesiæ fiat præiudicium: nec sine dote, nec de loco ad locum mutari possunt Ecclesiæ; & Parochi huic rei annuentes, aliique Ecclesiarum Rectores, vncijs decem plectentur. Ecclesiæ temporis diuturnitate collapsæ, si nostra aderit facultas, vna cum beneficijs simplicibus, siue de iure patronatus, in matrices, aut alias viciniores, iuxta Tri-

dentini Decreta sunt transferendæ; nisi eas populi deuotio restaurare, & nouam redigere in formam velit; quæ populi si non aderit deuotio, Vicarij foranei id nobis quamprimū adscribant, vt eas demoliri mandemus; & vbi profanos conuersæ fuerint in vsus, obserentur infixa desuper Cruce, ne in domicilia conuertantur, & earum rudera ad sordidos applicentur vsus.

CAPVT IIII.

TEmpla ingressi summa se gerere debent deuotione populi, deuotis Deum fatigent precibus, flexo humiliter poplite Eucharistiæ Sacramentum venerentur, Sacris frequenter intersint, & corporis ad modestiam habitu composito cordis affectum exprimant nudo capite, flexis genibus; at in Missa solemni, & dum Euangelij verba proferuntur, ex Decreto Anastasij pedibus innixi, & erecti stabunt. Quod itidem seruādum est, cum in officijs aliquis Euangelij tractus; in horis vespertinis, Magnificat; in Completorio, Nunc dimittis; & in Matutino, Benedictus, recitatur. Quibus in temporibus rationi par est, vt nec mulieres assideant. In Chori autem subsellijs, vbi Canonici, Sacerdotes, & Clerici assolent sedere tempore, quo diuinæ reci-

citantur preces, vel concio habenda sit, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ nullus alius assideat.

CAPVT V.

VT Pij V. statuta seruemus, omnibus cuiuscumque gradus, & dignitatis existant, præcipimus, ne in Ecclesijs obambulent, nè tumultuentur, ne rumores excitent, ne sæcularibus operã nauent negotijs, nè cœtus cogãt, ne sermones in circulis immisceã, ne mulieres, maximè in quas aliquis cadit suspicio, alloquantur, nè parum honestos efforment actus, nè Sanctissimo Sacramento terga conuertant: secus Laici excommunicentur, Clerici quatuor vnciarum pœna plectantur. Edicimus insuper, ne templa cum balistis, sclopis, hastis, vel alijs bellicis instrumētis ingrediantur, Magistratuum ministris exceptis; ne aris, Baptismi, & aquæ sacræ fontibus innitantur: nè commessationes, choreas, & profanos lusus exerceant; esculenta, & poculenta non vendant; ne Ecclesia veluti plateis vtantur ad transitus; ne denique alia intrudantur, quæ à loci sacri riuerentiã dissonant; sub pœnis, quas eadem Pij V. Bulla complectitur, cuius initium est; Cum primum:

CA-

CAPVT VI.

IN Ecclesiæ Cathedralis, & Parochialiũ fronte imagines sanctorum, quos titulares dicimus, apponantur tàm in Vrbe, quàm in Dioecesi: & vbi atria, & Templi vestibula sunt valuæ amouibiles, quas, parauenti, vulgus appellat, apponantur, maximè cum diuinis operadatur psalmodijs, & septem ad minus palmorum altitudinem expleant; & intra duorum Mensium terminos construi debent. Ianuæ verò, quæ altare maius è fronte prospiciunt, occlusæ vt plurimum teneantur sub pœna vnciarũ quatuor; nisi aliud ratio, aut necessitas suaserit Ecclesiarum Rectoribus. Caueant similiter Parochi, & ij, quorum interest, nè fabrile quid in cœmeterijs exerceatur: nundinas, spectacula, negotiationes, bellaria, cupedias, & venalia quæque à Cœmeterijs amoueant. Cœmeteria verò muris circumcirca sæpiantur apposito quolibet in angulo Crucis signo; quod ideo intra mensem sub pœnis nostro arbitrio factum volumus, vt & loca sacra à profanis segregentur, & animalium pedibus non obterantur. Vbi verò non adsunt cœmeteria, opera superenumerata permittimus: si tamen per decem passus procul ab Ecclesia exercebuntur.

CAPVT VII.

NVllo modo patimur, domicilia, & habitationes supra templa constitui:& si quæ factæ, interdictam Ecclesiam declaramus: obstruantur etiam fenestrę domorum priuatarum, quæ Ecclesiam propè sitam prospiciunt:& si quę data oretenus, vel in scriptis fuerit licentia, eam reuocamus: nolumus enim ab ijs, qui in Ecclesia immorantur cum illis, qui in fenestris sedent, mutuum haberi conspectum; & pauperes nolumus gratiâ stipis corrogandæ per Ecclesiam tempore diuinorum circũcursare: sic ludimagistris prohibemus, ne in Templo, veluti in Gymnasio, pueros edoceant: canes & quodcumq; strepitus in Ecclesia ciere potest, eijciantur, & nullus causa aues è nidis subripiendi, aut volucres scopis feriendi, tecta, & tegulas supereuadat, sub pœna duarum vnciarum, & omnes his in rebus facultates concessas annullamus.

CAPVT VIII.

NVllus, nisi honestis fuerit instructus moribus, & probatam transigat vitam, domos Ecclesiæ contiguas, vel illi vicinas incolat,

præcipuè si propè monialiũ Monasteria sitæ sint sub pœna excommunicationis. Magistri Ferrarij, lignarij, fabri, aut aliam rumoribus plenam exercentes artem, domos officinas propè Ecclesias habere non permittantur, ne inconditis ipsorum rumoribus, & instrumentorum fremitu, diuina perturbentur officia. Et nullus circum Ecclesias sordes, aut quid immundum projiciat sub pœna nostro arbitrio infligenda.

C A P V T IX.

Vt antiquissimum in Ecclesia custodiamus institutum: ter quolibet in die, scilicet in Aurora, in Meridie, & post Solis occasum ad salutationem Deiparæ faciendam æra campana pulsentur; Ita tamen, vt prius signum in Vrbe à nostra Cathedrali, in Diœcesi Matricis, Campana detur, cæteræ omnes etiam regularium subsequantur; & nullus Sacrista, etiam Regularis, nec alius ad hoc deputatus ante campanæ Cathedralis in Vrbe, & Matricis in Diœcesi ære Campano personet; nam nostræ authoritati subiectis duas vncias singulis vicibus soluendas imponimus; Regularibus, si ibi sint, vbi hęc laude digna viget consuetudo, Ecclesiam interdicimus; In Sabbato Sancto hebdomadæ maioris Leonis

Papæ

Papæ X. Constitutionem omnes obseruent.

CAPVT X.

Dignum, & æquum est, collata in genus humanum à Deo optimo maximo beneficia memoria sæpè reuoluere; idcircò nostra hac Synodali Constitutione decernimus, vt in sexta quaque totius anni feria ad decimæ octauæ horæ sonitum Campanæ ad modũ funeris perstrepant; vt fideles illo admoniti signo Christi Domini cruciatus mente reuoluant: & Parochi curare debent, vt, sicubi hæc laudabilis viget consuetudo, persueret illæsa: Et, vbi hæc deuotio non habetur, introducatur. Cæteræ similiter, etiam Regularium, audito cathedralis, & matricis sonitu suis personent tintinnabulis. Et quicunq; illo tempore in genua prouoluti ter Pater, & Aue persoluerint, quadraginta dierum indulgentias consequentur.

CAPVT XI.

SI quando quis ad Ecclesias causa securitatis confugerit, Ecclesiarum Rectores, alijque, ad quos attinet, & Regulares tres intra dies in Vrbe nobis, vel nostro Generali Vicario: in Diœcesi

Vicarijs foraneis deferant; & si confugientes tres itidem intra dies ab Ecclesiis non abscesserint, ab Ecclesia extracti ad nostrum Carcerem vlla sine mora, & vlla sine expectatione mittantur, vt maturius dignoscatur, an immunitate gaudeant. Qui oppositum ausus fuerit, in carceribus per mensem detinebitur, si fuerit Sacrista; si Rectores, nostro plectentur arbitrio.

CAPVT XII.

SAepissimè re ipsa compertum cuicunque est, bombardas, aliaque instrumenta, quæ populus Smerigli, masculi vocat, ignis impetu frangi, & minutas discindi in partes, multosque aut vita priuasse, aut nonnullorum membra resecuisse, hisque similia populis damna detulisse: idcircò, vt fidelium periculis obuiam eamus, & quantum fieri potest, remoueamus discrimina; mandamus, vt in sanctorum solemnijs, in quibus istæ æris metallo constructæ machinæ explodiuntur, locis ab hominum frequentia ita sepositis ordinentur, vt nullum subesse possit ex tali explosione periculum: qui durus huic nostro nō obtemperarit decreto, vncias pendet decem.

CAPVT XIII.

IN decorum valde, & fortasse animarum saluti perniciosum est, fœminas altaribus inseruire, & Sacristã agere; & hac de causa sacris in ædibus vitam transigere, vestimenta consuere, filum è colo deducere; ideo prohibemus, ne fęminæ imposterum, cuiuslibet sint ætatis, domicilium in templis figant, sacristarum que munere fungantur; sed actutùm ab Ecclesijs procul emandentur.

CAPVT XIIII.

IN Sanctorum solemnijs, & alijs festis diebus nullus siue ante fores, siue in Ecclesia aquis ingredientes aspergat odoratis sub pœnis nostro arbitrio.

CAPVT XV.


SEdilia in Ecclesijs Ecclesiæ ipsæ suis prouentibus, vel aliunde paratis ad sumptus pecunijs mulieribus subministrent; in quibus nulla sibi priuatum aliquid vendicet, verum iure omnium sint, & communia. Si quæ vero à priuatis in Templis reponantur, stabili, fixoque ca-

reant loco; ne aliqua ius certi in Ecclesia loci sibi quauis ratione præsumat; æquum enim est, vt cuilibet, qui prima illa occupauerit, quiuis Ecclesiæ locus cedat. At si priuatorum sedilium causa rumor aliquis subortus fuerit, quicquid horum in Ecclesia inuenietur, foras statim a Vicarijs eijciatur sub pœnis nostro arbitrio.

DE ALTARIBVS Caput 1.

SAcra altaria, in quibus ille, qui ignem venit mittere in terram, æternum adoletur, ex lapide, quoad fieri potest, compingantur, etsi lateritia non respuamus; in quatuor palmorum altitudinem attollantur, in longitudinem palmorum minimum sex, & latitudinem trium protensa. Ab eo altaris latere, in quo sacræ leguntur Epistolæ, locus pateat in ipsomet altari, in quo vitrei vrceoli pelui etiam adhibita reponantur; ni huius loci vices abacus, seu tabella subeat. Scabella affabrè expolita altaribus apponantur. Altaribus nec organa, & ad Conciones suggesta non immineant; quæ tali situ extructa sunt interdicto ipso facto feriuntur. Altaris ornatum hæc expleant: desuper sacræ eluceant sanctorum imagines, Cruce, & duobus minimum candelabris, etiam ligneis, instruatur; cartulas habeat, in qui-

bus scripta sint, quæ sacerdos sub missa proferat voce, dum sacrum facit. Triplici etiam lineo velamine, quorum extimum ad terram vsque ex vtraque parte fluat, vestiatur: vbi tamen haberi nequeunt, sex parentur linea velamina, quæ ad magnitudinem altaris [illegible] duplex tandem, vel vnicum adsit puluinar, cui Missarum liber inhæreat. Anterius [illegible] tegat Altare peristromate, siue pallio; quod si sericum defuerit, aut lineum, aut pretiosioris materiæ, ex corio compactum, auro tamen illitum succedat. [illegible], vel quouis alio infectum colore ad sacrificij horam puluerem desuper posita defendat. Si fixum hoc altare sacratum non fuerit, portatile adhibeatur; cui tamen adhuc sanctorum hæreant ossa, sitque iuxta Romani Pontificalis leges sacratum, ea arte fixo altari insitum, vt vel ei æquale sit, vel parum portatile ipsum emineat, ea vero amplitudine, vt calyci, & patinæ excipiendis sit satis; quæ amplitudo omnium portatilium deinceps sacrandorum modus erit. Cæteris, quæ vel sunt angustiora, vel fractis sigillis deturpantur, vel carent sanctorum ossibus, velut ad sacrificandum ineptis Sacerdotes interdicimus: Et qui temerarius in his sacrificium offeret, nostro arbitrio pœnas dependet.



CAPVT II.

MAxima Templorum Ara iuxta varios festorum dierum ritus coloribus varietur, & ad orientem solem, quoad fieri potest, dirigatur.

CAPVT III.

HI, quibus iura, vt aiunt, patronatus concedemus; sciant hac lege id à nobis fieri, vt in illis Altaria, præscriptis seruatis legibus, erigantur; etiam si hoc nullo modo in ipsis nostris de tali concessione rescriptis exponamus: qui hoc seruare negligit, concessione obtenta, quam irritam facimus, cadet. In cæteris verò iam extructis iuribus patronatus altaria iisdem legibus pareant sub pœna priuationis. Si quæ aræ tandem maiori Altari è regione apponantur, eas interdicto obnoxias declaramus, & in his sacrificium efferenti suspensionis conscribimus pœnam. Quæ verò in huiusmodi Altaribus Sacra sunt facienda ad maiorem Aram transferantur.



DE FONTE AQVAE BENEDICTAE.

PRopè maximam Templorum Ianuam dextero latere mormorea vasa, vel ex lapide fi ta reponantur, in quibus lustralis, seu benedicta adseru tur aqua. Lateritia vasa, & ea, vnde sensim effl at aqua, renuimus. Quin, vbi commodè datum fuerit, vasa ipsa lapidi immineant columnato. Ad minora Ost a lapide item sacra aqua contineatur. Quin etiam priuatis in domibus lapideis item vasis seruetur. Aqua ea munditie, qua par est, vbique pelluceat, & dominico cuiuslibet hebdomadis die veteri è vasis pulsæ recens succedat; vetus ve ò in sacrario reponatur. Eam sacerdos non nisi superpelliceo, stolaque adhibitis Deo sacris dicet precibus, & benedicat. Cum maioris sacri initium imminet, iuxta Romani Missalis præscripta, eà populus aspergatur. Has demum nostras de aqua lustrali leges Parochi custodiri curent, quas sacristiæ si neglexerint, vnciarum duarum plectentur pœna.

DE SACRISTIA Caput I.

COnstruatur in Sacristijs ex ligno subgenuale, supra quod locatæ sint tabellæ, in quibus

bus præparatoriæ ad Sacrum sint inscriptæ preces, quo celebraturus sacerdos rerum diuinarum inuestigatione ad sacrum efficiendum ferculum se componat. Non desiderentur in illis tabella Missarum, dierum festorum, & peruigiliorum de præcepto, Bulla in Cœna Domini, casuum nobis reseruatorum inscriptio. Ab sacristia laici semoueantur, mulieres sub pœna Excommunicationis procul absint; tumultus, vaniloquia, circuli, & quidquid orationi vacantibus impedimento potest esse, arceatur. Sacra adsit pinacotheca, seu armarium, in quo sacra supellex, Templi ornatus, Sacerdotum vestes, aliaque cultui Diuino necessaria asseruentur. E sacristiæ foribus tempore diuinorum repagulum è iunco saltem factum (nam propter è pannus, aut quid simile pendere deberet) ne Clericorum actiones a sæcularibus inspici valeant.

CAPVT II.

IN nostra Cathedrali apparatus holoserici parentur, & sacra peristromata varijs imbuta coloribus pro temporum varietate, & vestes attalicæ, & prætiosiores pro solemnioribus diebus conseruentur. In Collegiatis vero, & Parochialibus Ecclesijs pro capitulorum, & uniuscuiuscuiusque

cum facultate diuinus ab omnibus prompto animo augeatur honor: at in Parochialibus nullo modo apparatus desint, quibus iuxta Missalis Rubricas vti solet Ecclesia; nõ desit thuribulum, & thuris custos acerra, ac sphęra suis omnibus cõpacta partibus, id est, lunula, vitro &c. Et hæc omnia sub pœna quatuor vnciarum sex intra menses comparentur. Adsint ependytes, seu cappæ varijs pro temporum varietate distinctæ coloribus; dalmaticæ, chirodotæ, seu manicatæ, & duę saltem vmbellæ, quarum altera rubri, candidi sit altera coloris pro tempore, cum Synaxis defertur ad infirmos.

CAPVT III.

INdignum militis est, minimè instructum armis militare: Idcircò suam quilibet Sacerdos habeat albam talarem cum suo balteo, seu cingulo, humerale, mappulam, seu manipulum, stolam, lænam sacram, quæ dicitur planeta, Missale, Breuiarium Romanum, tunicam striatam, dictam superpelliciam cõmuniter, & hæc omnia singulis senis mensibus saltẽ emundentur. Calycem quisque proprium habere curet, & syndonem mysticam, seu corporale, thecam synaxis, patinam, sudariolum, velum; & bis in men-

ſe ſub pœna vnciarum quatuor expurgentur. Si cui tamen hæc ſibi comparare inopia denegat, eius inopia à communitate ſubleuetur. Adſint etiam gutti, ſeu vrceoli non è creta, ſed è vitro elaborati, tintinnabula, cerea; & his ſupradictis nullus induatur veſtimentis ſub pœna ſuſpenſionis, niſi fuerint ab Epiſcopo benedicta.

CAPVT IV.

QVoties ſudariola, quadratum calycis tegmen, inuolucrum corporis Chriſti, ſeu Corporale ablui neceſſe eſt, ij tantum id muneris exequantur, qui fuerint in ſacris conſtituti, & vnda in ſacrarium demittatur. Sit itidem in ſacriſtia fonticulus aqua plenus, quo tùm antè, tùm poſt Sacrum ſuas abluant manus Sacerdotes, & purum iuxta ſit mantile appenſum, bis in hebdomada mutandum, quo lotæ tergantur manus.

CAPVT V.

SInt inſuper ſub pœna vnciarũ decem onera miſſarum deſcripta, dies anniuerſarij qualibet in Eccleſia celebrandi, & adnotatus dies, quo his oneribus faciendum eſt ſatis. Et, vbi Sacerdos

cerdos suæ obligationi satisfecerit, suum propria manu subscribat nomen in libello, quem omnes sibi consuere debent, vt Missæ, & Sacra adnotentur.

CAPVT VI.

SAcerdos, dum se ad Sacro operandum vestit indumentis, sermones non admisceat; sed Sacrificij perficiendi magnitudinem mente peruoluat; aliaque exequatur, quæ in rubricis circa Missæ Sacrificium indicuntur.

CAPVT VII.

VT debitus sacris locis adhibeatur honor, nullus, etiam Sacrista, in Sacristijs cubet; & alios, sub pœna vnciarum duarum, cubare, discumbere, somno deniq; indulgere non sinat.

DE CAPITVLO, ET CANONICIS Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatarum, cum seruitio Ecclesiarum Parochialium. Caput I.

CAthedralis Ecclesiæ Canonici Episcopi sunt adiutores: idcircò quod nomine deferunt, re ipsa exequantur; & quo in dignitate præstantiores sunt, eo virtutum nitore magis refulge-

fulgeant, alacri nobis animo obsequantur, Ecclesijs, quibus adscripti sunt, frequentes intersint, varijs non vagentur in locis, & suæ dignitatis neglecto munere, sæcularium rerum non se negotijs implicent: munera vel à iure, vel nostris præscripta decretis, summa cũ Religione obeãt: secus in pœnas à Tridentina indictas Synodo incident, nec vlla consuetudo, aut statutum illos ab errore purgabit. Cœremoniale Romanum ad vnguem omninò obseruent, si pœnas nostro infligendas arbitrio euadere velint.

CAPVT II.

CAnonici, cæterique de Collegiatis Ecclesijs nostræ Diœcesis choro addicti proprios assumant habitus, quibus extra propriam Ecclesiam vti non debent, nisi in supplicationibus, in quibus vniuersum solet interesse Collegiũ, præcedente tamen vnica Cruce Matricis, non propria ipsarum Collegiatarum, omnesque hac in re facultates reuocantur.

CAPVT III

CVm diuina persoluuntur, & psalmodiæ vacant Canonici nostræ Cathedralis, & Colle-

legiatarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis distinctè verba proferant, & vbi asterisco versus notatur, moram ducant aliqualem. Cursim, aut decurtata per syncopē verba, aut incōdita voce non efferant: Libellos ad officium nullo spectantes modo, & litteras nullus perlegat: priuatim diuinum nemo persoluat officium, somno non se dedant, nec vanis alloquijs: modestè suo quisq; sedeat in loco, nec vllo colore è Choro discedat; tabaccus illo tempore semoueatur. Cum officij id postulabit ratio, sed non ad ostentationem, seu alterius porrectionem ad alterum, caput discooperiant, & ad Iesu, & B. Mariæ nomen illud acclinent; genua flectant, erecto stent corpore, Crucis signo se muniant, omni denique in actione rubricarum ordines illæsi maneant; nec vnus ab alio in habitu corporis, & signorum gestu dissideat. Diuinis persolutis horis in sacristiam se reducant, ibique tantum vllo sine strepitu vestes deponant. Qui his peccarit in rebus, vnius diei distributione priuetur, & si admonitione neglecta deliquerit, nostro arbitrio punietur.

CAPVT IV.

CAthedrales Ecclesiæ, siue Collegiatæ, singulis diebus Missas decantent, & nullo

ſtatuto, aut in oppoſitum inducta conſuetudine ad id non exequendum excuſantur. Sacra, tam quę decãtantur, quàm quę leguntur per ſe ipſum, aut per alium Canonicũ adimplere quiſque ſtudeat; ſed in diebus feſtiuis, & ſolemnibus in noſtra Cathedrali ab ijs, qui per tabellam hic inſertam deſignãtur, & in Collegiatis iuxta Romanum Cæræmoniale, ſub pœna vnciarũ quatuor, ordo ſeruetur.

TABELLA SECVNDVM ORDINEM diſpoſita eorum, qui ſunt in Eccleſia Cathedrali Officia Diuina perſoluturi.

Menſe Ianuario.

1 CIrcumciſio Domini: tertius Canonicus. Euangelium: tertius Cappellanus. Epiſtolam: primus ex Manſionarijs. quatuor pluuialia.

6 Epiphania Domini: Dominus Cantor. Euangelium: ſecundus Cappellanus. Epiſtolam: Magiſter ſcholæ. Sex pluuialia.

Menſe Februario.

2 Purificatio B. Mariæ Virginis: Dominus Theſaurarius.

Euan-

Euangelium : Subthesaurarius.
Epistolam : tertius mansionarius.
Pluuialia sex.
24 S. Matthias Apostolus: septimus Canonicus.
Euangelium : Magister scholæ.
Epistolam : secundus mansionarius.
Quatuor pluuialia.

Mense Martio.

19 Sanctus Ioseph : decimus Canonicus.
Euangelium : secundus mansionarius.
Epistolam: secundus ex quatuor vltimis mansionarijs per Illustrissimũ Dominũ deputatis suis expensis.
Quatuor pluuialia.
25 Annunciatio B. Mariæ Virginis : quintus Canonicus.
Euangelium : primus mansionarius.
Epistolam: primus ex quatuor vltimis.
quatuor pluuialia.

Mense Aprili.

25 Sanctus Marcus : vndecimus Canonicus.
Euangelium : tertius ex Mansionarijs.
Epistolam : tertius ex vltimis.
Pluuialia quatuor.

Men-

Mense Maio.

1 SS. Philippus & Iacobus Apostoli: octauus Canonicus.
Euangelium: vltimus Cappellanus.
Epistolam: primus ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.
3 Inuentio San. Crucis: decimus Canonicus.
Euangelium: Terminator.
Epistolam: secundus ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.
Prima Dominica Maij Solemnitas Sanctę Lucię Patronæ: Dominus Decanus.
Euangelium: secundus Cappellanus.
Epistolam: Magister scholæ.
Pluuialia sex.

Mense Iunio.

14 Sancti Martiani Primi Episcopi Syracusani: Primus Canonicus.
Euangelium: tertius Cappellanus.
Epistolam: primus ex Mansionarijs.
Pluuialia sex.
20 Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis: sextus Canonicus.
Euangelium: Terminator.
Epistolam: secundus ex Mansionarijs.

Plu-

Pluuialia sex.

24 Natiuitas Sancti Ioannis Baptistæ: Nonus Canonicus.

Euangelium: primus ex Mansionarijs.

Epistolam: tertius ex quatuor vltimis.

Pluuialia quatuor.

29 Sancti Petrus, & Paulus Apostoli. Illustrissimus Dominus.

Omnes Canonici Parati.

Mense Iulio.

25 S. Iacobus Apostolus: tertius Canonicus.

Euangelium: quartus Cappellanus.

Epistolam: primus ex Mansionarijs.

Pluuialia quatuor.

26 Sancta Anna: duodecimus Canonicus.

Euangelium: primus ex Mansionarijs.

Epistolam: secundus ex vltimis.

Pluuialia quatuor.

Mense Augusto.

10 S. Laurentius: quartus Canonicus.

Euangelium: quartus Cappellanus.

Epistolam: tertius ex Mansionarijs.

Pluuialia quatuor.

15 Assumptio B. Mariæ Virginis: Dominus Archidiaconus.

Euangelium : primus Cappellanus.
Epistolam : secundus ex mansionarijs.
Piuuialia sex.

24 Sanctus Bartholomaeus Apostolus : Octauus Canonicus.
Euangelium : subcantor.
Epistolam : tertius ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

Mense Septembri.

8 Natiuitas B. Mariae Virginis Titularis.
Illustrissimus Dominus, nisi aliud ad mandatum Illustrissimi.
Omnes Canonici parati.

21 Sanctus Matthaeus Apostolus : Nonus Canonicus.
Euangelium : Magister scholae.
Epistolam : Tertius ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

29 Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli Tertius Canonicus.
Euangelium : quartus Cappellanus.
Epistolam : secundus ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

Mense Octobri.

28 Sancti Simon, & Iudas Apostoli : Decimus Ca-

Canonicus.
Euangelium: subcantor.
Epistolam: secundus ex vltimis.
Pluuialia quatuor.

Mense Nouembri.

1 Festum Omnium Sanctorum: Primus Canonicus.
Euangelium: Tertius ex cappellanis.
Epistolam: primus ex Mansionarijs.
Pluuialia sex.

2 Commemoratio Omnium fideliũ Defunctorum: Duodecimus Canonicus.
Euangelium: secundus ex Mansionarijs.
Epistolam: Tertius ex vltimis.

30 Sanctus Andreas Apostolus: Septimus Canonicus.
Euangelium: Terminator.
Epistolam: secundus ex Mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

Mense Decembri.

8 Immaculata Conceptio B: M. V. Patrona Regni: Dominus Thesaurarius.
Euangelium: Tertius ex Cappellanis.
Epistolam: secundus ex Mansionarijs.
Pluuialia sex.

13 Sancta Lucia Virgo, & Martyr Patrona: Illustrissimus Dominus.
Euang.: & Epistolam: de mandato Illustriss.
21 S. Thomas Apostolus: nonus Canonicus.
Euangelium: Magister scholæ.
Epistolam: tertius ex Mansionarijs.
Pluuialia quatuor.
24 Martyrologium leget Magister cæremoniarum.
25 Natiuitas Domini nostri Iesu Christi: Illustrissimus Dominus.
26 S. Stephanus Prothomartyr: quartus Canonicus.
Euangelium: quartus Cappellanus.
Epistolam: primus ex Mansionarijs.
Pluuialia quatuor.
27 Sanctus Ioannes Apostolus, & Euangelista: quintus Canonicus.
Euangelium: Magister Cappellæ.
Epistolam: primus ex vltimis.
Pluuialia quatuor.
28 SS. Innocentium: sextus Canonicus.
Euangelium: subcantator.
Epistolam: secundus ex vltimis.
Pluuialia quatuor.
31 S. Siluester: duodecimus Canonicus.
Euangelium: Terminator.

Epistolam : tertius ex vltimis.
Pluuialia quatuor.

DISTRIBVTIO FESTORVM MOBILIVM.

In die Cœnæ Domini, Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus, & Canonici parati.

Feria Sexta Hebdomadæ Sanctæ.

Dominus Archidiaconus.
Euangelium : primus Cappellanus.
Epistolam : terminator.

Sabbato Sancto.

Dominus Decanus.
Euangelium : secundus Cappellanus.
Epistolam : Magister scholæ.

Dominica Resurrectionis.

Illustrissimus Dominus, & omnes Canonici parati.

Feria Secunda.

Quartus Canonicus.
Euangelium : quartus Cappellanus.
Epistolam : primus ex mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

Feria Tertia.

Sextus Canonicus.
Euangelium: Magister Cappellæ.
Epistolam: secundus ex Mansionarijs.
Pluuialia quatuor.

Feria Quarta.

Septimus Canonicus.
Euangelium: subthesaurarius.
Epistolam: secundus ex vltimis.
Nouena incipit ab Archidiacono, & circulariter sequitur vsque ad nonum Canonicum inclusiuè, & sic per Euangelia, & Epistolas cum Cappellanis, Mãsionarijs, & vltimis quatuor.

Ascensio Domini.

Dominus Archidiaconus.
Euangelium: secundus Cappellanus.
Epistolam: subthesaurarius.
Pluuialia sex.

Vigilia Pentecostes.

Decimus Canonicus.
Euangelium: magister scholæ.
Epistolam: secundus ex Mansionarijs.

Dominica Pentecostes.

Illustrissimus Dominus, & omnes parati.

Feria Secunda.

Septimus Canonicus.

Euangelium: Magister Cappellæ.

Epistolam: vltimus ex mansionarijs.

Pluuialia quatuor.

Feria Tertia.

Nonus Canonicus.

Euangelium: Subcantor.

Epistolam: primus ex quatuor vltimis.

Pluuialia quatuor.

Dominica Trinitatis.

Tertius Canonicus.

Euangelium: quartus Cappellanus.

Epistolam: primus ex quatuor vltimis.

Pluuialia quatuor.

IN SOLEMNITATE CORPORIS Christi prout in nouena.

Aduertendum Primum

QVod ex designatis debent esse de communia iuxta statuta Capitulari a, & quod ali-

aliquo impedito, vel absente adoptet alius.

Aduertendum Secundum.

Aliæ Missæ infra annum, quæ occurrerint decantandæ per circulum, incipiendo ab Archidiacono, decantentur ab ijs, qui sunt de communia.


Aduertendum Tertium.

Missæ de Sanctissimo in qualibet die Iouis, laudabilis consuetudo seruetur, quod cantentur per Canonicos alio circulo, incipiendo ab Archidiacono, & quod sit de communia, & aliquo impedito, per aliũ subsequentem Canonicum cantentur.

Pro Lectionibus in Hebdomada Maiori.

In feria quarta, quinta, & sexta hebdomadæ maioris lamentationes, vel lectiones tertij Nocturni per ordinem incipi debent ab Archidiacono, cęteras verò exequatur cantor per tabellam in Sacristia.

Similiter in nocte Natiuitatis quatuor vltimæ per dignitates ipsas, cæteræ verò aliæ per Canonicos antiquiores.



CAPVT V.

QVi Psalmos, & Antiphonas pręcinunt, cauti sint, ne dissonis scandalum præbeant vocibus populo, & cum thus illis profertur, & pax, caput inuicem antea acclinent corporis gestu ad modestiam composito, amotisque risu, & colloquijs.

DE ARCHIDIACONO. Caput VI.

PRima ab Episcopo dignitate fulget Archidiaconus: eius munus est primum in capitulo ferre suffragium; primum in Choro sedere, & loco digniori; sacris incedere supplicationibus. Cum vero hebdomadarius Canonicus diuina obiturus solemniter officia in ipsius Archidiaconi exhedra, seu subsellijs assidet; tunc Archidiaconus Cantoris sedem occupabit. Ipsi opus incumbit vnam ex tribus arcæ capitularis clauibus semper penes habere.

DE DECANO. Caput VII.

ARchidiaconi dignitatem secunda Decanatus dignitas subsequitur. Ipsius cura est,

absente Archidiacono, illius vicem subire, eius munera exercere; &, cum Decanus abest, Cantor illius partes exequitur. Vnam è clauibus arcæ capitularis detinet.

DE CANTORE. Caput VIII.

ASsiduus in Choro debet esse Cantor; psalmos, & antiphonas præcinere, dignitatum, Canonicorum, omniũque, qui Choro intersunt, errores, defectusque quotidianos adnotare, aut per se ipsum, aut per alterum sibi subrogatum, & à nobis requisitus nullius occludat errores; Cum supplicationes fiunt, medius in Capitulo argenteo bacillo procedet; illas ordine dic[illegible] binique, modestè incedant & Campanatum custodibus pro diuinis solummodo persoluẽdis officijs, horas præsignet consuetas; lectiones in Choro disponet iuxta tabellæ superioris ordinẽ. Si Cantor forte deerit, thesauro Præfectus succedit.

DE THESAVRARIO. Caput. IX.

QVarti Ecclesiastici ærarij œconomus obtinet in Choro dignitatem: eius (vt Balla loquitur) cura est thesaurarium suis debitis non fraudare obsequijs, congrue illam, vt me-

ris est, administrare, & eiusdem onera supportare consueta. Sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, nostra sine licentia nullo modo licitum illi, quid auro, vel argento fabre factum extra Ecclesiam sportare; nullo pacto sinere, vt ab vllo etiam ex Capitulo prætiosior, & serica suppellex mutetur, aut alios formetur in modos; nisi fuerit antea certior factus. Quæ omnia debet ipse in aduersarijs, seu inuentario, nostro iam de mandato confectis, exscribere. At prætiosi ex auro, vel argento elaborati ornatus extra Ecclesiam efferri, aut immutari nostra sine facultate non possunt. Si ipse absfuerit, eius subibit partes antiquior, & Primus Canonicus, alijque iuxta antiquitatis ordinem subsequentur.

DE DEPOSITARIO CAPITVLI. Caput X.

Capituli Depositarius redditus, aliaque, quę Canonicis debentur, distribuere nō potest, nisi prius schedulam, in qua errores, & Canonicorum defectus exarantur, à cantore perceperit, & inspexerit, vt æqua illis detur distributio; & si aliquid peccarint, puniantur, & merces sub trahatur. Hanc errorum schedulam cuius libet mensis termino depositario Cantor dabit sub pę-

na vnciarum decem.

DE PROCVRATORIBVS ECCLESIAE Cathedralis, & Capituli. Caput XI.

QVoniam in dies maximo animi nostri sensu compertum vidimus à Procuratoribus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Capituli, quod peractis eorum officijs suarum administrationum computa nouis non reddiderint: ad ea, statim ac eorum officium spirat, nouis reddenda mandamus, si pœnam vnciarum quinquaginta fabricæ Ecclesiæ, vel in Canonicorum distributionibus applicandandarum, effugere velint. Sitque in arbitrio Capituli eligere duos deputatos, qui quolibet semestri ex biennio officij Procuratorum computa cognoscant administrationis, & hoc cum nostra licentia.

DE CAPELLANIS CVRATIS CATHEdralis. Caput XII.

AD nostræ Cathedralis Chorum sine nostra facultate Capellani curati non adscribantur, adscripti verò duo subire munera, Capellani scilicet, & Sacristæ maioris, vel alia huius generis vllo modo non possunt. Quolibet festo die

sedulo inseruiant Choro, nisi tamen eos Sacramentorũ occupatos detineat administratio; diebus vero, quibus feriatur, vnus ex quatuor Sacramenta administret, & alter choro intersit alternis vicibus. Nec eidẽ eadem in hebdomada, & Choro inseruire, & Sacramenta exhibere liceat.

DE MANSIONARIIS CATHEDRALIS.

Caput XIII.

CVm Mansionarijs solerter, & adamussim seruentur actus per nostrum prædecessorem cũ Capitulo dispositi, & Cõstituti: hi, si suo desint muneri, mercede priuabuntur; & merces in quatuor Secundarios vltimo a nobis loco ad Ecclesiæ, & Chori adiumentum designatos reuoluta distribuetur, vt quod ipsis debemus, aliquo ex his partibus modo compleatur.

CAPVT XIV.

SI quis per discessum alicuius è vita, aut aliquo quouis modo erit seligẽdus; nullo modo erit aggregandus, nisi Gregoriani cantus peritiam habuerit, & ad examen redactus aptus huic muneri fuerit inuentus.

DE SERVITIO ECCLESIARVM Parochialium Caput XV.

AD Sacri Trident. Concilij præscripta Clericis omnibus, tam in minoribus, quam in Diaconatu, & Subdiaconatu promotis mandamus, vt Ecclesiæ Parochiali, in qua sunt descripti in Dominicis, & festiuis de præcepto diebus inseruiant, si ad sacrum Præsbyteratus ordinem ascendere cupiunt, & pœnas in nostra Visitatione inflictas euitare voluerint.

DE PVNCTATORIBVS. Caput I.

IN vnaquaque Ecclesia diuinis adscripta officijs (cum è Cathedrali discesseris) vnus seligatur Censor, siue Punctator: hic qualibet hebdomade absentes Clericos notet; illos item, qui, dum diuinum persoluitur orationum pensum, garriunt; qui somno obsequuntur; qui è consessu abscedunt; qui inibi Epistolas perlegũt; qui cum priuata Oratione publicam psalmodiam commutant; qui tandem supra à nobis de Choro, & Canonicis statuta seruare negligunt; hosque nobis, vel nostro Generali Vicario in Vrbe, in Diœcesi Forancis Vicarijs referre curet. Quod

si sedulò facere contempserit, vnciæ vnius in singulis vicibus pœnam incurret: schedulam tamen, vbi hæc adnotantur, nemini aperiat, nisi punctorum exequutio facienda sit. Qui vero Canonicorum, vel Sacerdotum in huiusmodi Censorem minas effundet, vel iniurias verbo, factoue immittet, carcerem, grauioresq; pœnas nostro arbitrio subibit.

CAPVT II.

SAbbato, ad cuiuslibet hebdomadis flexum, Censor puncta, quæ notarit, perlegat, ex his, quæ ad nos, nostrumq; Generalem Vicarium ferenda sunt, reddat; ni pœnam supra sancitam luere velit. Quoad reliqua, si lis aliqua oriatur, hæc à primo de Choro, vel ab alio, cui id munus incumbat, componatur iuxta ea, quæ decernit tabella pro celebratione Missarum, Diuinique Officij Sacristiæ parietibus infixa. Hoc idem seruari par est in nostræ Diœcesis Collegiatis, Ecclesijsq; omnibus in Celebratione Missarum, quę vel Cappellaniæ, vel beneficij, vel quocumque alio titulo peragendæ veniunt; ad quod munus iam, dum Diœcesim in visitatione lustraremus, Cẽsorem, seu Punctatorem in qualibet Ecclesia, etiam Collegiata destinauimus: Etenim statutis

alta-

altaribus, præscriptis à Tabella diebus, diuina hæc sacra fieri opus est. Quod si his legibus aliquis aberrauerit, à censore Sacerdos huiusmodi iuxta à nobis in Visitatione sancita puniatur. Sciant tamen omnes in nostra Cathedrali, Sacra vel nulli affixa altari, vel in altari diruto facienda, in eam Aram, quam maior Cappellanus signauerit, offerenda esse; per Diœcesim vero in ara maiori.

CAPVT III.

IN Ecclesia, Choro, Sacristia de his, quæ ad Diuinum Sacrificij, vel psalmodiæ cultum pertinent nemo imperet, nisi is, cui id ex munere incumbit. Qui vero Archidiacono, Cantori aliisque dignitate fulgentibus in his, quæ sui muneris sunt, parere detrectet, ad eorum relatum notetur, notatus vero erit nostro arbitrio pœnas redditurus.

CAPVT IV.

CAnonici, aliique de Capitulo Collegiatarum, cæterique nostræ Diœcesis sacerdotes pro cuiuslibet Sacerdotis Anima, qui in eodem loco vitam cum morte commutauerit, Sacrum faciant, At commemoratione vero fideli um omnium defunctorum pro Episcopis prædecessoribus

decessoribus, Missam decantent cũ anniuersario, quam alia pro Canonicorum, cæterorumque Sacerdotũ animis subsequatur; secus si fecerint, pœnas nostro arbitio persoluent.

CAPVT V.

NOnnulli aliquando ex Canonicis, Presbyteris, alijsque diuinæ adscriptis psalmodiæ, nedum, vt absint, ægritudines simulant, verùm etiam absentes eadem, quæ præsentes, sibi iura deposcunt, quæ gratis, & sine causa absentibus rectè denegantur: Huic culpæ vt occurratur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à cuius vinculis soluendi potestas tantum in nobis residet, præcipimus, vt quisquis Choro abfuerit, omni præsentium iure priuetur, ni vera ex ægritudine laboret, & ex longo, veterique morbo domi adhuc detentus conualeat: at verè ægroti, quique adhuc ex pristino morbo priores vires non sunt adepti, distributione quotidiana donentur, præsertim vbi de hoc antiqua viget consuetudo; cuiusmodi sunt cerea prodefunctis lumina, aliaq; quæ pro Missis, Litanijs, cæterisque diuinis officijs decantandis stipendia tribuuntur.

DE PROCESSIONIBVS.

Caput I.

IN Constitutis à Romanæ Ecclesiæ Decreto supplicationibus omnes oportet, vt intersint Sacerdotes,& Clerici;bini incedãt iuxta gradus, quos obtinent; non gregatim, sed ordinatè; caput pileo quadrato, seu bireto cooperti, & lineis induti tunicis. Item Regulares, quibus ex consuetudine conuenit, interueniant,& Confraternitates Crucis signum, & sua quisque vexilla deferãt. Vicarij Foranei nulli permittant supplicationes ordinare: nec habeantur à quoquam in Vrbe, nisi prius à nobis, vel a nostro Generali Vicario licentiam in scriptis obtinuerint. Si verò Canonicos nostræ Cathedralis, & dignitates famuli comitentur, non illis permixti progrediantur, sed à latere illos socient; Vt nec eos in Choro finimus inueniri.

CAPVT II.

NVllus in Vrbe, nec in Diœcesi supplicationes facere audeat: nec Regulares suas extra Ecclesias nostra sine in scriptis facultate pompam supplicationum deducant: eas tamen

ex:

excipimus à iure constitutas, & Patroni principalis. Ideo nos quascunque voce, vel in scriptis à nobis, vel à nostris prædecessoribus concessas reuocatas declaramus facultates: pœnam Regularibus imponimus interdicti: nostræ subiectis ditioni vnciarum decem; in quam etiam Vicarius foraneus incidet, si per ipsum tales haberi supplicationes licebit.

CAPVT III.

SVpplicationes ad Diuinam nobis gratiam comparandam institutæ modesto oris habitu, & totius corporis gestu ad grauitatem composito sunt instituendæ, & in illis omnia, quæ Romanum præscripsit Rituale, seruanda sunt: Confratres sacco incedant induti, cucullo ante os demisso, vt vultus operiatur sub pœna vnciarum sex; eos tantum exemptos ab hac pœna volumus, qui humeris Sanctorum sustentantes statuas pondere fatigantur; vt sic eorum æstus, & labor a circumerrantibus auris minuatur.

CAPVT IV.

CRucis signa Parochialium Ecclesiarum, nõ nisi a Clericis perferantur, qui Clericali

tunica ad talos usque demissa cum superpellicio sint induti.

CAPVT V.

QVi supplicationes fuerit ausus turbare, in illis tumultuari, rixas, & contentiones suscitare, aut huius generis impedimẽta cudere, & componere, in nostris mancipatus erg gastulis mensis spatium explebit.

PARS TERTIA.

DE VITA, ET HONESTATE Clericorum Cap. I.



CVM ſæculares Clericorum perſequantur veſtigia, & ſuos mores ad illorum exempla componant; Clericis ſumma diligentia cauendum eſt, ne ſuis malè probis ad crimina perpetranda ſęculares alliciant exemplis; nè quid peccent, aut aliquid exequantur, quod correctione indigeat: non enim ſuis tantum animabus damno ſunt, ſed aliorum animos ad perniciem, & ſalutis æternæ iacturam pertrahunt, & impellunt; nugæ enim, vt ait Bernardus, in ore ſęcularium nugæ ſunt, in ore Sacerdotum Blaſphemiæ. Studeant igitur mores, & vitam ita componere, vt habitu, inceſſu, ſermone, omni denique actione ad ſanctitatem intuentes inuitent. ſeruent omni ſtudio, à

Pontificibus, & Concilijs quæ emanarunt, de honestate Clericorum decreta: & nos Tridentini Vestigijs inhærentes omnium Clericorum memoriam refricamus, vt tam qui vrbem incolunt, quàm qui diuersis nostræ Diœcesis commorantur in locis, saltem nullum diem Dominicum, nullumque diem præter labifestum sinant, quin sacra hostia Sacerdotes litent. Si verò suo muneri animarum cura sit illigata frequentiores esse debent, vt suis satisfaciant obligationibus: cæteri vero siue sacris initiati, siue Clericorum adscripti numero primo cuiuslibet mensis die Dominico, & in solemnitatibus, quas primæ classis vocant, cœlesti pabulo suas reficiant Animas sub pœnis nostro arbitrio.

CAPVT II.

VT internis animi affectibus, & vitæ integritati externus cõsonet habitus, præcipimus omnibus, & quilibet in sacris constitutis, vt, qui beneficia etiam simplicia obtinent, cuiuscumque status, & dignitatis sint, Clericalem deferant tonsuram proprio conuenientem ordini.



CA-

CAPUT III.

COmam nullus nutriat, sed caput omnes æquali ter attonsum deferant; Barbam curiosius non V reconcinnent, nec pilos circa labia oblongos gerãt, ne Christi sãguinis gutta illis inhæreat, sub pœna quatuor vnciarum. Caput pileo quadrato opertum deferant, maximè cum linea tunica, alijsque sacris vestiuntur indumentis: quo tamen operti extra Ecclesiam pedes ferre nequeunt, nisi cum absoluta supplicatione reuertuntur. Quod si tempus æstiuum incaluerit, vel pluuijs maduerit aer, galero vti possunt non admodum eminenti, nec nimis compresso, sed æqua forma, serica circumquaq; septo cordula; pendentem e collo torquem, nec circumdatum digitis annulum gerant; ijs tantum exceptis, quibus ratione dignitatis cõpetit. Odores, vnguenta, cæteraq; vanitatis instrumenta à se procul amoueant: telas circa collum errantes non complicent, non incidant, non acu pingant, nec filis consuant coloratis; has sæpius abluant, ne sudorum immunditia stomachũ moueant. Vestes tam interiorem, quam superiorem simplices, & ad talos vsque fluentes habeant, & compositè pendentes gerant, etiamsi beneficiarij fuerint, sub

pœna

poena in Bulla Sixti V. anno 1589. Pallium non sit nimis comptũ, aut à Clericali statu alienum, nigro tantum colore, non sordidum: vestibus intimis non sint quædam coloratæ virgæ appositę, nec sint incisæ, auroq; litæ. quod si Ciuitate egredi contigerit, contractioribus vti possunt vestibus; ita tamen, vt à Clericali grauitate non abhorreant; tibialia, caligæ nigri, aut violacei, aut alterius modesti coloris sint. Calceamenta albo colore, aut nimis studiosè perpolita, sericisq; florentia rosis omninò Clericis vetamus. Discincti per populis obuia; loca & sine pallio nõ incedãt, sed decẽti zona, seu cingulo pręcingãtur; quarum rerum, si in aliqua quis peccabit, vncias duas soluet, & veste nudabitur. Nec luctus tempore, aut parentum funere sine collari procedant, vt à laicis seiungantur.

CAPVT IV.

ARmati nec diù, nec noctu obambulent absque nostra in scriptis licentia: Si quis siue Clericus, aut Sacerdos à nostris inuenietur ministris cũ sclopo, vulgò pistolo, vel cũ scopettone, octoginta vncias soluet, aut tres per annos in triremibus remos agitabit: quod si testibus coarguetur, tale armamentorũ genus detulisse, aut domi

eruasse, vncias quadraginta soluet. Quod si cultellis, vel Syracusanis fuerit inuectus gladiolis, vel vncias quinquaginta pẽdet, vel tres annos in carcere cõmorabitur, & per testes conuictus vncias triginta; sclopos (vulgò scopette, e scopettine) qui detulerit, vncias viginti. Si causa venationis à miccio, vncias duas; qui enses, vel sicas, vulgò, scimitarre, portauerit, vncias quindecim; si pugiones, vncias decem: Etsi secunda, aut tertia vicè oppositum facere præsumpserit, & pœnas supra memoratas subibit, & in ergastulo nostro arbitrio detrudetur: Ideoq; omnes tam in voce, quã in scriptis concessas pro delatione armorum à iure vetitorũ licentias reuocamus; & pro aliis in posterum nemo deferat sine Vicarij Foranei attestatione, quam prima vice tam ab ipsis Vicarijs Foraneis, quam à nostra Cancellaria gratis detur; ab hac tamẽ primo habeatur, quod Vicarius informet.

CAPVT V.

NVllus audeat Clericus noctu per vrbem vagari, Choreas ducere, fidibus personare, cantu, aut aliquo musico instrumento perstrepere, & modulari; nec mulieribus, de quarum vita aliqua suspicio est, associati perambulent: secus

& vnciarum sex, & carceris pœna in illos prætereà mensem irrogabitur: personati non incedant; & ad minimum secũda noctis hora domos adeant; nec egrediantur, nisi sacramenta administrando, aut similis alia coegerit necessitas.

CAPVT VI.

PEssima apud plerosq; Clericos inualuit consuetudo, vt venationem profiteantur; quidcirco omni seueritate clamosas, hijsve canibus ac retibus exercitas interdicimus: quæ in re eos non includere volumus qui raro admodum, & vires animi reficiendi gratia aliquando venantur.

CAPVT VII.

A Beneficiarijs, & Clericis in Sacris constitutis nimis abhorret mercaturas, & illicitas exercere negociationes: idcircò omnibus præcipimus, ne prædia, fructus, redditus, aut vlla conducant vectigalia; nec furtim, neque palam nec directè, nec indirectè pactiones cũ cõductoribus faciãt, aut in eorum societatẽ ingrediãtur; nisi tamẽ prędia & cętera superius enumerata ad Ecclesiam, vel nostrã mensam pertineant Episcopalem. Nullo modo sinimus, illos vinum, fru-

mŭtâ, cęteraq; huius generis coemere, vt charius, & suo cum emolumento vendant, sed tantū illis dentibus mercari permittimus, quantū ad vitæ sustentationē ille videbitur necessarium. Non negamus tamen ea, quæ à sacris conceduntur Decretis: At si quid deliquerint, pœnæ ab illis expectentur, quas Sacri Canones inflixere.

CAPVT VII.

SIxtus V. & Gregorius XIII. suis prohibuere Constitutionibus, ne Ecclesiastici proscriptis, seu bānitis faueāt, qui publicas obsident vias, vel fori sunt, vt loquuntur, Iudicati: Nos etiam hæc omnia prohibemus ea seueritate, vt; si in Ecclesiasticorum domibus, Ecclesijs, sacellis, aut quibusuis ædibus recipiantur, occultentur, auxilium, consilium, fauor, victus, & cætera præbeantur, pœnas à dictis Constitutionibus irrogatas, & centum vncias expectemus, vel trium annorum spatio nostro arbitrio ad triremes ablegemus.

CAPVT VIII.

ABsurdum est, Clericos diuino addictos cultui ebrietatibus, & commessationibus vacare operam; ideoq; moderatam ipsi parcant men-

sum, honesta corporis sint refectione contenti, tabernas cauponum nō ingrediantur, vt comedant, bibantue; nisi ad id necessitas, & peregrinationis causa compellat: ijs tamen in locis ea se moderatione gerant, vt omnibus pateat, non vt abdomini suo indulgeant, aut ingluuie, sed necessitate sua ille ingressos, nec vllo modo proprijs in domibus hunc ad vsum instituant diuersoria; hoc enim maiore dignum esset reprehensione, cum in maius scelus laberentur, & hoc sub pœna vnciarum quatuor.

CAPVT IX.

A Clericorum domibus mulieres amandentur, eæ præsertim, de quibus læuum quid, & sinistrum possunt homines suspicari: nisi animarum salus manifestè depôscat, mulierum domicilia adire nō audeant: Matrem tamen, auiam, materteram, amitam, sorores, fratrum filias, vel vxores excipimus; in his enim naturæ fœdus crimen suspicari prudenter non sinit; non tamen pedissequarum, & famularum domos adeant: si tamen eas sustentare debent, ad victum necessaria alio decenti modo sumministrentur: secus pœnas subibunt, quas infra contra concubinarios decernemus. Ecclesiæ domus, aut beneficiorum

inhonestis non sunt locandæ mulieribus, secus pœnæ à sacris statutæ Canonibus infligentur.

CAPVT X.

QVilibet siue Clericus, siue Sacerdos, qui aleis, alijsq; vetitis à iure ludis, vel alias licitis, sed publico in loco luserit, vncias dependet decem; si taxillis, viginti; & barattariam habentes triginta.

CAPVT XI.

ECclesiastici extra casus à iure concessos sæcularem curiam non adeant; nec ciuilibus nec criminalibus in causis testimonium proferãt, Procuratorum, & Aduocati munus sibi non assumãt, sicuti Cõsultoris, aut huius generis officiũ, sibi nequeunt arrogare; nec vllas sæcularis fori iurisdictiones exercere, sub pœna vnciarum sex. Ad hęc profanis in rebus Notarij, aut tabellionis partes non subeant, artem medicam, & Chirurgiam non profiteantur: tutelæ pondus, & curas suis non imponant humeris, nisi nostra interuenerit facultas, sub pœna vnciarum decem. Propinquorum tamen ad secundum vsq; gradum inclusiuè, suæq; Ecclesiæ, vel personarum miserijs

op-

oppressarum curam permittimus, etiam nostra interueniente licentia, fœminas non associent, nec famulatū viris etiam nobilibus præstent, sub pœna vnciarum sex. Bona patrimonialia quouis titulo alicui non obligent, nec generalem negotiorum curam laici alicuius cuiuscunque dignitatis gradus, & conditionis non assumant, sub pœna nostro arbitrio.

CAPVT XII.

OMni seueritate præcipimus Clericis, ne vllo colore fœminas etiam illustres legere, scribere, canere, & sonare doceant, nisi prius a nobis eorum vita, & moribus consideratis, licentiam in scriptis habuerint, secus pœnæ nostro arbitrio infligentur.

CAPVT XIIII.

NVllus, antequam Clericorum adscribatur albo, clericalem induat vestem, nec adscriptas exuat, nec exutam iterum induat sine nostra licentia, eaque litteris consignata: qui secus fecerit, decem mulctabitur vncijs. Qui vero sine inter sacræ militiæ copias conscribi, utur priusquam a primo illo die, quo initiatur, integer esse-

eius intra mensis; Clericorum tunicam talarem induant, comam Clericorum in morem attondeant, & Cathedrali templo, vel Parochiali, vel Matricis adscribantur; nullus enim decet esse ex Tridẽtini praescripto Clericus, nisi in Castris Dei subsignatus fuerit miles. Qui his parere detrectauerint, unciarũ quatuor poenas dabunt. Si quis verò Clericorum praesumpserit sine habitu & tonsura per duos menses incedere, solemnia non seruando, nulla praeuia monitione laicus declarabitur, & constante Iudice saeculari, etiam pro causa criminali ad ipsum remittetur. Histrioniam facere Clerici, siue in publicis, siue in priuatis praesentent theatris, prorsus sibi vetitum sciant: cuius sceleris rei trium mensium carceri mancipati poenas persoluent. Tandem tùm inter minorum ordines adscripti, tum inter sacros adlecti Dioecesi ne pedes efferant, quin nostras secùm deferant literas dimissoriales. Qui sine his discedet ultra octo dies moras tracturus, decem uncias poenas reddet.

DE CONCVBINARIIS ET POENIS.

Caput I.

Grauè quidem scelus est, hominem aut solutum turpissimis corporis voluptatibus im-

implicari, aut matrimonio iunctum tanti fœderis leges rumpere, & tam enormi fœditate se maculare; at grauius, atrociusque facinus est, proprijs in domibus ruinæ occasionem nutrire, & concubinas domi alere; vnde aliud nihil, nisi miserabile salutis æternæ periculum imminet, & impendit. Vt igitur nos tanta obcæcatos scælerum caligine ad verũ rationis lumen deducamus, & ex inferni faucibus ereptos Deo conciliemus; pœnas subsequentes indicimus; vt saltem, si virtutis amore, & Dei Optimi Maximi suauissima amabilitate à sceleribus non seiunguntur, pœnarũ formidine, & cruciatuum metu ab impurissimo fornicationis, concubinatus, & illicitæ coniunctionis scelere reuocentur.

C A P V T II.

QVoniam Clerici nonnulli summo status dedecore impudicitiæ sordibus volutãtur, & scandalum, vnde sæcularibus maior ruina patet, exoritur: Clericos concubinis adhærentes iuxta Tridentini, & Pontificum decreta subsequentibus pœnis puniemus. Quilibet igitur Clericus, qui concubinam, aliamue fœminam, in quam sinistra potest cadere suspicio, domi, vel extra detinuerit, & primo monitus obdurauerit

fuerit (& publicatione præsentis Decreti pro prima admonitione declaramus) tertia fructuum parte, &, si Beneficiarius fuerit, Prouentuum beneficiorũ ipso facto priuabitur, & fabricæ Templi, aut pio loco, vt visum nobis fuerit, pars illa applicabitur. At si secundo de eodem scelere cum eadem, aut diuersa admonitus non obsequutus dictis nostris fuerit (quam etiam admonitionẽ hoc nostro præscribimus decreto) non modo fructus, & pensiones omnes amittet, sed nostro arbitrio ab ipsorum beneficiorum admissione priuabitur; & si tertio non eijecerit, beneficijs, officijs, pensionibus quibuscumq; Ecclesiasticis denudabitur; & indignus, incapax ad alios consequendos honores, & dignitates eo vsq; declarabitur, alijsq; pœnis plectetur, donec palam clarissimis fictum fuerit signis, vitæ ordinem, & mores emendasse; & tunc, si nobis videbitur, poterit in pristinas redire grari dignitates. Hic autem illos intelligimus beneficiarios; qui pinguia obtinent beneficia; e quibus vncias ad minus triginta deductis oneribus percipiũt; nam de alijs in sequenti Capitulo decernetur.

CAPUT III.

CLerici, beneficia Ecclesiastica, aut pensiones

ones non possidentes, si primo admoniti se à scelere non reuocarint, vncias soluent quatuor: secundò admoniti, si refractarij, & impudentes nostra decreta flocci fecerint, & suspensionis ab ordinibus, si in sacris, & vnciarum quatuor pœnas incurrent, si in minoribus, & pœnas vnciarum quatuor, & carceris per tres menses; tertio admoniti, si ab se occasionem peccã si procul non abegerint, & ex scelerum cæno non emerserint, vncias octo dependent, & carceribus ad nostrum arbitrium mancipabuntur. Hanc admonitionem præsentibus hisce nostris intimamus decretis.

CAPVT IV.

LAicorum nullus, siue solutus, siue matrimonio copulatus à nostris pœnis euadet quacumque fulgeat dignitate, & statu, si intra dies quindecim à præsentium declaratione concubinas à se non repulerit; quorum dierum quinque primum esse terminum, quinq; secundum, quinq; tertium, & peremptorium esse decernimus. Si igitur se à concubinatu non absciderint, quatuor vncias soluẽt; &, si deinde sceleribus, & concubinatui quatuor per menses inhæserint, & octo vncias, & tres menses carceris dependant.

CAPVT V.

SCiant pręterea huius generis homines, nostrã curiam (vt alia vitia radicitus extirpentur) non modo ad aliorum instantias, sed spontè sua omnem disquisitionem de his vitijs facturam; ideoq; Vicarij Foranei, & testes Synodales omni diligētia vigilent, vt huiusmodi criminosos, adulteros, incestuosos inquirant, & ad nos deferant, vt inflictas in illis pœnas exequamur: secùs ipsos vt fautores, adiutores reputabimus, & concubinarijs indictas pœnas in ipsos intorquebimus. &, vt fraus ex nominis ignoratione nulla nascatur: cōcubinas, illas intelligimus, quas proprijs in domibus detinent, aut alijs in locis alunt, & substentant, aut quatuor per menses cum illis carnalem constiterit habuisse consuetudinem, & commercium.

CAPVT VI.

MVlieres, & meretrices, quæ suam honestatem in lupanaribus prostituere, locis tãtum semotis commorentur; nec in partibus Ecclesijs, aut Monasterijs, aut vbi probatæ vitæ ciues degunt, sua scelesta figant domicilia; &, qui mulieribus hisce scelestis domos honesta sitas

in vicinia locarit, mercedem, & pensionem amittat, contractusq; etiam anticipata solutione excussos irritos, & nullos facimus. Quod eo fit, ne harum impudentissimo consortio, virtute, & bonis moribus neglectis probi improbi euadant. Edicimus similiter sub pœna vnciarum quatuor, ne huius generis mulieres in cauponis, tabernis, hospitijs, & diuersorijs quibuscunq; se detineantur, ne peregrinantes proxima peccandi occasione inuenta contagioso scelere, & impura se fœditate commaculent.

DE ADVLTERIIS Caput I.

AD eam insaniam plerosque libido perduxit, vt legitimo neglecto thalamo proprie, vel aliena in domo adulterij se intricent amplexibus: nouerint itaque omnes siue laici, siue Clerici, siue sacerdotes sint, se in adulterio deprehensos, & testibus de hoc nefario scelere redargutos, pœnam vnciarum decem subituros: & si quatuor per menses in adulterio infixi perstiterint, & vncias decem soluent, & anni vnius spatium in carceribus explebunt, nostro arbitrio,



DE INCESTVOSIS.

QVi ęnormiſſimū inceſtus crimen patrarit in primo conſanguinitatis gradu, ad annos decem in remis agitandis occupabitur: at ſi eodem ſcelere in primo affinitatis gradu ſe contaminarit, & hac de re coargutus fuerit, annos quinq; in triremibus explebit. In ſecundo verò conſanguinitatis gradu, vel annos quatuor in ergaſtulis conſumet, vel annos totidem in remis occupatus erit: ſi verò in ſecundo affinitatis, duos annos in carcere cõterat. cęteris verò in gradibus, vel vncijs viginti plectetur, vel anni vnius ſpatio detinebitur in cuſtodijs; quę omnia exequemur pro vt noſtro viſum fuerit arbitrio. Spiritualis affinitatis vinculo colligati, ſi huius vitij fœditate ſe deturparint, vnum annum in carcere inſument, vel vncias viginti quinq; ſoluent; quæ omnia ideò ſeueris interdicimus pœnis, vt tantæ fœditatis vitium pœnitùs eradicetur.

DE STVPRIS VIRGINVM.

QVicunq; violentum fecerit Virginibus impetum, & earum pudicitiam deflorauerit, vel in vxorem ducere, vel dotis ſummam

illis

illis dare tenebitur, & carceris ad annos quatuor pœnam subibit; quod si raptus accesserit, quinq; annos in remis, vel in carceribus ad nostrum arbitrium insumet: &, si vlla sine vi, vncias persoluet decem, & promissa mulieri tenebitur adimplere.

DE SIMPLICI FORNICATIONE.

QVi immundam, & sceleratam fornicationi nauarint operam, & præcepto lõgum ad tempus non fuerint obsequuti, vncijs duabus punientur.

DE FAMOSIS LIBELLIS.


EO multorum excreuit inuidia, odium, & iracundia, vt conscientiæ cõtemptis morsibus quibus sępè dilaniantur, aliorum famam famosis denigrare libellis non vereantur; ideò, qui dictos libros composuerit, aut exararit, aut publicè, aut in priuatis domibus affixerit: vel obscænis figuris particularium personarum status, familias, conditionem coinquinarit, pœnis a sacris Canonibus, & Apostolicis decretis constitutionibus subiacebit.

DE LENONIBVS VEL LENOCINIIS.

Nimium, quam abominandum est lenonum munus, & exercitium, quippe qui quæstum nobis ex aliorum sceleribus comparet. Ideoque decernimus, Clericum, qui lenonis subierit officium, vel domum ad scelus adulterij, fornicationis, incestus, & stupri compararit, vel exhibuerit, pœna vnciarum decem plecti debere, vel ad annum carceribus mancipari: quod idem, vel fustuarij pœnam in fœminis, & sæcularibus exequemur, qui lucrum ex lenocinio reportant.

DE PARENTIBVS FILIAS PROPRIAS Prostituentibus.

Adeò immemores honoris, & famæ non rarò parentes sunt, vt filias aliorum furiosæ libidini exponere, & prostituere nō metuant: ideò præcipimus, vt parentes, qui filias prostituerint, per vrbem rapti, fustibus verberati, exilio nostro arbitrio mulctentur.



DE

DE FRACTORIBVS, SEV DISCALANTIBUS carceres, vel rixantibus in eis.

CLerici etiam in sacris constituti, & laici, qui in carceribus detinentur, si illos frangere, vel, vt vulgo dicitur, discalare, attentauerint, & proximam deuenerint ad actionem, & cum instrumentis inuentis fuerint, nostro plectentur arbitrio: at si conspirationem fuerit fuga sequuta, pœnas delicto quo detinebantur, debitas ab illis expetemus, & ad triennium remis, vel carceri applicabimus, & fugam tamquam confessionem, & vt sufficientem probationẽ reputabimus. Quod si carceribus mancipati rixentur, tumultuentur, iniuria, & contumelijs alios prosequantur, si laici extiterint, funium e troclea tres ictus, seu vt vulgus loquitur, cordę, sustinebunt: Si Clerici, aut sacris initiati fuerint, angustiori carcere distribuentur, & trium mensium spatio compedibus comprimentur; quibus in casibus summatim, & sine vlla iuris solemnitate procedendum est: qui vero conspirantibus auxilium, fauorem, consilium prabuerit, excommunicatione latæ sententiæ vincietur, & alias nostri arbitrij incurret pœnas: at si quis ex ijs, qui carcere detinentur, aut conspirarunt, re adhuc integra

tegra retulerit, & rem manifestam reddiderit, impunitatem, non modo conspirationis, sed sceleris, & delicti, cuius causa in ergastulis detinebatur, assequetur; dummodo fiet ad instantiam Procuratoris fiscalis.

DE VSVRIS.

SOrdidos eorum detestamur quæstus, qui palliatis quodam colore vsuris pauperum sanguine efferè, veluti tigres, satiantur: idcircò obnixè omnes in Christo obsecramus, vt pauperum necessitatibus compatiantur. Nullus igitur Clericus, aut laicus cōtráctus cōficiat vsurarios, aut simulatos, aut fraudolentos excudat actus: si renuerit obtemperare, pœnas à iure statutas subibit, & vncias prima vice soluet decem, secunda vice de vsuris conuictus duplicatas; & quoties id sceleris patrasse coarguetur, vltra supradictas pœnas nostro arbitio suo luet in corpore.

DE INFERENTIBVS INIVRIAS

Clericis, & nostra Curia ministris, vel violentas in eos inijcientibus manus, nec non de eximentia, & resistentia. *Caput* I.

CLericos qui lœserit, Christi pupillam læ-

dat: vt igitur debitus illis deferatur honor, edicimus; ne quis Clericos, Sacerdotes, & Regulares conuicijs, & verbis ignominiosis prosequatur; secus excōmunicatione ferietur: si opere horum quemquam tantummodo leuiter percusserit, vel pęnam vnciarum decem, vel carceris sex ad menses inibit: si sanguinis accesserit effusio, vncias quindecim soluet, vel annorum duorum carcerem sustinebit: Si ex ictu, aut mutilatio, aut cum apparente cicatrice sequetur deformitas, vel vncias vigintiquinq; pendet, vel quatuor ad annos ergastulis mācipabitur: Si mortem percussio detulerit, & Canonum pœnas, & perpetuis vinculis condemnabitur: at si Clericus, vel Sacerdos iniurijs, seu contumelijs laicos, vel personas Ecclesiasticas cumulauerit, nostro, vt in supra memoratis, punietur arbitrio.

CAPVT II.

TAnta est quorumdam temeritas, & audacia, vt in nostros maiores ministros officij intuitu iniurijs irruere non metuant; nouerint hi præter vnciarum viginti, & Carceris per annum pœnam, nostro, pro conuicij magnitudine, & personarū cōditione plectēdos arbitrio; at si minores alios etiā nostræ Diœcesis ministros contumelijs

fuerint insectati, vncijs viginti, vel carcere per annum mulctabuntur. Quod si opere maiores nostros ministros laeserint, vncias quadraginta, vel annorum triū in carcere pœnas luent: Si vero ministros nostros minores facto violauerint, vncias quindecim dependent, & duos per annos in carceribus miseram degent vitam.

DE EXIMENTIA.

QVi audacia fretus è nostrorū ministrorum manibus aliquem attentarit eximere, vel opere sequuto exemerit: si causa ciuilis erat, vltra vncias triginta, & duorum annorum carcerem, parti debitum soluet, & onera, vulgo Interesse. Si verò causa fuerit capitalis, aut ad remos tres integros per annos applicabitur, aut ad annos quinque in Carcerem detrudetur.

DE RESISTENTIA.

ADeò sunt pleriq; impudentes, vt non vereantur nostris subinde vim inferre ministris, & impedire, ne exequi possint, quæ nos illis commisimus; ideoq; qui nostris restiterint ministris, siue in vrbe, siue in Diœcesi, ita vt fuerit illis impedimento, ne opere complerent, quæ illis facienda

eienda nos, aut nostri Generales, aut Vicarij foro nei demandarunt, vncijs puniantur quadraginta, vel carcere ad duos annos.

DE CLERICIS NON RECITANTIBVS Diuinum Officium.

MVltorum adeo obcalluit ad remorsus cōscientia, vt crimina criminibus quotidie agglomerare non metuant, & id quadā animi inertia, & pigritia faciant, quam fortasse experiuntur in sacris precibus persoluendis: omnes igitur in sacris constituti, & beneficiarij, qui suis è beneficijs octo saltē vncias singulis annis excerpunt, si officium persoluere diuinum omiserint, sciant, se in pœnas à sacris Canonibus, & Bullis Apostolicis inflictas incidisse.

DE ADVLTERANTIBVS, RESERANtibus literas, & nostra M. E. C.

SAepè aliqui nostras, nostræq; Magnæ Curiæ litteras fractis sigillis reserarunt, iterumq; obsignarunt, ijsdem verba velademerunt, vel adiunxerunt; quin nonnullus eo dementiæ deuenit, vt ad eas occulendum sibi non defuerit animus; vt hoc igitur stirpitus auellatur è nostra

Diœcesi scelus; eas qui reserabit, vel reseratas, lectasq; obsignauerit, qui verba ademerit, qui adiunxerit, qui illas occultauerit, in excõmunicationis iam lapsus pœnam carceri nostro arbitrio mancipabitur, & pœnas falsi incurret.

DE RIXANTIBVS IN CAEMETERIO, vel Ecclesia.

DE decet orationis domum in arenam verti gladiatorum. Qui igitur in cæmeterio, vel Ecclesia rixas, rumoreq; serere ausus fuerit, is, si inter rixãdum sangųis effluxerit, excõmunicationis, & triginta vnciarum luet pœnas; si citra sanguinis effusionem pugna illa desierit, duodecim persoluet vncias; si mors sequuta fuerit, & excommunicationis, & carceris ad duos annos pœnas non euadet.

DE REPETITRICIBVS.

INdignè ferimus, mortuos ita lacrhymis Christi fideles prosequi, ac si breui nõ essẽt in æternam vitam surrecturi; iurè igitur præficas illas, seu repetitrices, quæ mortuos insani compellant eiulatu, funditus è nostra Diœcesi exterminandas putamus. Qui igitur ad mortuorum exequias

illas

illas impostetum aduocabit, excommunicationis latæ sententiæ se sciat gladio vulneratū; Præficis verò ante fustibus cęsis exilium demum imperamus.

DE ABVTENTIBVS VESTIBVS SACRIS.

CLericales, siue (quod peius) sacras vestes, qui sacrorum, siue minorum ordinum expers, laicus, vel ad contemptum, vel ad derisum temerator induerit, sciat, se eiusmodi sceleris vinculis non absoluendum, nisi publicè pœnas dabit, seu, quod idem est, nisi publica peracta pœnitentia.

DE INVENTARIO BONORVM ECCLESIÆ, & de illis non alienandis. Caput I.

ITa in quosdam homines auaritia dominatur, vt Ecclesiasticas dissipare facultates non extimescant, bona stabilia, & mobilia pretiosa, vel fidelium pietate Ecclesijs collata, vel alia ad diuinum cultum cōparata, iure in proprios, & profanos vsus vsurpare non timeant; ex qua eorum rapacitate illud enascitur mali, vt decens Diuino cultui adhiberi non possit honor, nec pauperum inopia subleuari: Idcirco districtè præcipimus

sub pœna unciarum quadragintaa, & interdicti, alijsq; sub pœnis nostro arbitrio, nostræ Cathedralis Capitulo, totius Diœcesis Clero, Cappellanis, Rectoribus, Abbatibus monasteriorum, œconomis, Prioribus nostræ ditioni subiectis, Nosocomij, hospitalium, confraternitatum, pietatis montiũ fabricæ, Ecclesiarũ administratoribus, & quibuscũq; locis pijs Præpositis, vt sex intra menses sincerum, integrum conficiant inuentarium; in quo bona stabilia, eorum terminos, fines, iura, actiones, membra, partes, & bona mobilia, census, iurisdictiones, iura feudalia, emphyteotica, res deniq; omnes, quæ ad Ecclesias, capitula, cappellas, monasteria, hospitalia, montis pietatis, & ad alia pia loca pertinẽt, escribant. Quod inuentarium singulis semper annis renouetur, & tutò custodiatur: Illius etiam inuentarij duæ sunt exscribendæ formulæ, seu exempla, quarum alteram apud se detineant, alteram in nostram Cancellariam trãsmittant. Quod si ea per loca peragrare, & inuisere contigerit, secum Cancellarius deferat, vt inuicem collatis formis liquidò dignoscatur, an Ecclesiæ bona aliquod habuerint detrimentum.



CA-

CAPVT II.

CVm Ecclesiarũ Rectores, qui administrant, & piorum locorum curatores, & Administratores, vt patres familias se gerere debeant: oportet meminisse debere ipsos non modo bona illæsa seruare, sed quoad fieri potest augere; & ideo prædia Ecclesiastica ijs non locent, quorum fundi vicini sunt, & contermini, ne hac occasione, & Ecclesiæ fines minuantur, & aliorum termini dilatentur. Verùm enim verò si necessitas, aut emolumentum ad hoc faciendum adurgeat, in locationis apoca, seu contractu minutim terræ quantitas, mensura, & cæteræ omnes singillatim explicentur circumstantiæ, vt Ecclesiæ iura, fines à vicinorum auara rapacitate defendantur. Seduli sint etiam Rectores, & alij, cum annuos redditus, laudemias, bona emphyteotica, cēsus, & alia exigũt, in accepti libros referre, & expensas deducere, & in aduersarijs escribere, ne ob negligentiam in adnotandis acceptis, & exactionibus, & solutionibus aliquid de directo Ecclesiæ dominio deteratur: quod si necessitas, vt locentur bona Ecclesiastica adurserit, publicè ad præconis vocem locanda proponantur, & diebus festis adhibito, si opus fuerit, fideiussore, & ad can-

delæ

delæ exitum, & mortem liberentur, & locentur.

CAPVT III.

SVmmo animi nostri mœrore cōperimus, Ecclesiarum bona deteriorem esse redacta in statum, quia contra Apostolicorū Diplomatum tenorem illa locantur: Propterea nullus posthac piorum locorum, monasteriorum, aliarumq; vrbis, vel Diœcesis Ecclesiarum administrator Ecclesiastica bona alicui locet; nisi ad tempus à iure constitutum, tres scilicet ad annos: quibus non absolutis, & elapsis, nullus de nouo conficiat pro gabellis actus, nisi prius noster accesserit assensus; nec anticipatas sumere audeat solutiones, sed ijs tantū, quæ suæ administrationis tempore transiguntur, & maturantur, contentus sit: nec gabellas, fructus, census, prouentus post suæ curæ tempus maturandos cedat, aut concredat, aut colligat, minimum quid expendat; ne Ecclesiæ, monasteria, & loca pia paupertate impediantur, quod suis deinde minus possint occurrere necessitatibus, Quæ omnia ad procuratores Ecclesiæ, & capituli Cathedralis volumus pertinere. Oppositum facientes officio ipso facto deponentur, & alijs nostro iudicio supplicijs subiacebunt.

CAPVT IV.

NVllus similiter administrator, & alius, ad quem attinet, argentea, vel aurea Ecclesiarum, monasteriorum, aut piorum locorum vasa, & pretiosa mobilia pignori donet, nisi nostrā prius in scriptis facultatē impetrarit, etiamsi necessitas vrgeat; quam nobis exponere debet, vt illā accuratius discutiamus, ne nos in pœnas Apostolicas incidamus. Si quæ vero Ecclesiarum bona pignori data reperiuntur, duos intra menses illo ab onere extrahantur, seu expignoretur, ni velint pœnis nostro arbitrio subiacere.

CAPVT V.

PLurima enascuntur Ecclesijs damna, dum Rectores, & administratores Ecclesiarum, & piorum locorum iurium cessiones excudunt; quamobrem monialium, Ecclesiarum, ac piorum locorum administratores iura non cedant, etiamsi conditio, & clausula apponatur, Ecclesiam nullum passuram detrimentum, & nūquam futurum, vt mali quid in illam retorqueatur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: exceptis tamen casibus, quos iura permittunt.

DE

DE LEGATIS PIIS. Caput I.

TEstatorum voluntates, & pijs relicta locis legata, & eleemosinas, quamprimum hæredes persoluant, & adimpleant; & ne longas in soluendo pertexant moras: Notarij, alijq; vltimarum, & scriptores volũtatum, duos intra menses à vulgati testamenti die, nobis in vrbe, Vicarijs in Diœcesi ad pias causas legata, vlla sine mercede manifestent, & exarata scriptis contradant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

CAPVT II.

SÆpè à Confessarijs infirmorum animi fraudibus irretiuntur; quapropter Curati, Confessarij etiam Regulares, valetudine laborantium caput importune non obtundant, vt sibi, aut suis Ecclesijs legata relinquant. Sed testatorum volũtates liberas semper esse sinãt, secus ipso facto ad confessiones excipiendas concessa suspenditur facultas. Tantum enim generali verborum tenore, vt pia exequantur opera admonere infirmos debent. Postremò nullus directè, aut indirectè impedimenta apponat, quin omni possint libertate religiosi viri agritudinis causa in lectu-

lo decumbẽtes adire; & ne possint Notarij infirmorum dispositiones excipere. Sub pœna vaciarum quinquaginta.

CAPVT III.

PEcuniæ auara cupiditas ita plerosq; inuasit Notarios, vt particularia Capitula, & legatorum dispositiones, quæ suis claudũtur in actibus, denegent, nisi totius exempli merces dependatur: præcipimus omnibus nostræ Diœcesis exscriptoribus, seu Notarijs, vt exemplar, quod ad legatum spectare dignoscitur, illicò petentibus exhibeãt, nec quid plus extorquere mercedis curent ea, quæ pro tali exemplo, seu copia debetur. Contrarium facientes in subsidium excommunicationis vncijs decem puniemus.

CAPVT IV.

VT Notariorum fraudes præcidantur, præcipimus omnibus hoc munus in nostra Diœcesi exercentibus, vt intra mensis vnius spatium, exempla donationum, & testamentorum Clericorum vita functorum autenticè ad nos transmittãt. Secus grauissimis punietur pœnis, quod intellectũ volumus de testamẽtis, & donatio-

nibus iis in locis, & Ciuitatibus confectis, in quibus Bullam, quam vocant, Testatoriam, non est concessa Clero. Id autem ideo factum volumus, quia nonnulli sæpe Clerici, & nostræ Diœcesis Sacerdotes per acta publica suas, dum vitã agunt, vel ægritudinis tempore, donationes conficiunt, Vnde sæpe euenit, vt illi absque eo quod vllum condiderint testamentum e vita migrent, & eorum sequuta morte fraudibus plenæ appareant tabulæ. Denique ne vllus dolis, aut excusationi fraudulentæ pateat aditus, vix vno elapso a donantis, vel Testatoris obitu mẽse, hæredes, & successores nomen, & cognomen donantis, aut Testatoris vna cũ bonorum summa, quam testamento legauit, Episcopali detegant mensæ, ni velint nostro subesse iudicio.

CAPVT V.

NE pauperum nimis augeantur miseriæ, ad pias causas legata, & redditus nõ persoluantur, nisi prius id Thesaurario, & fidei commisso, vel alijs, quibus cõgruit innotuerit, vt cõpertum illis sit, quibus, & quanta sit pecuniæ soluenda quantitas, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Item legata ad pias causas relicta integrè, & non diminutè, non alijs bonis, sed numera-

numerata de præsenti pecunia, legatarijs sunt soluenda: nec itidem faciendæ sunt bonorum cessiones, nisi nostra fuerit illis data in scriptis licentia, quæ à nostro Cancellario gratis expedietur; secus vncias pendeat viginti, & amissionem legati subibuat.

CAPVT VI.

NVllo modo admittendi sunt ad legata pro coniugijs, monacatu, & similibus in nostra Diœcesi verificanda testes, nisi in Vicarij, & iudicis præsentia. In nostra verò Vrbe coram magna Curia disquisitis ātea fidei, quos vocāt Commissarij, ad quos solutio spectat, id autem fit vt piæ defunctorum voluntates accuratius, & diligentius exequutioni tradantur.

CAPVT VII.

POntificem immemores excommunicationis plerique tùm seculares, & Ecclesiastici, tùm Regulares, et á a nostra ditione exclusi legata pia nobis in Vrbe, & Vicarijs in Diœcesi occultare non metuunt, Ideo cuilibet ipsorum præcipimus: vt ad pias causas legata reuelent. Et vt notum hoc fiat omnibus Decretum, in primo Ieiunio-

rum

rum quadragesimalium die Dominico, & aduentus, inter Missiarum solemnia Parochi curent, & Vicarij, vt hoc decretum perlegatur cum bullis Apostolicis, vt sequitur; Et si quis huic nostrae renuerit obtemperare voluntati, nostri arbitrij poenas incurrat.

SCOMMUNICA PAPALE AD INSTANZA dell'Illustriss. & Reuerend. Monf. D. Francesco di Elia & Rossi Vescouo di Siracusa per breue Apostolico in Roma à cinque di Nouembre 1641. esecuto in Palermo à 16. di Dicembre 1643.

PErche molte persone della Città di Siracusa, e sua Diocese, & altri non Diocesani hanno per il passato senza timore di Dio, e della loro propria cōsciētia occupato, rubbato, & estratto dalla cassa chiamata, di tre chiaui, e dall'archiuio, e Cancellaria Vescouale molte scritture cossi publiche, come priuate concernenti li frutti, rendite, prouenti, e l'vtile di detto Vescouato, e delli feghi dell'Isola Sinecchia, caue secche, tremilia, e la mortilla pertinenti ad'esso Vescouato, con hauersi ancora occupato molte ragioni di quarte di legati pij lasciate tanto in publico, quanto in priuato, & in confidenza a persone cossi Laiche, come Ecclesiastiche, e Regolari

ri,benche della Compagnia di Giesù, e Caualieri di Malta; censi perpetui, quinquagesime, decime cosi in Musti, come in Frumenti, Orzi, & altri legumi, Cannaui, Lini, & Oglio, Terre, Case, possessioni, Alberi, Frutti, Oliue, e molti ferramēti, e chiauature dello Palazzo Vescouale; trattenēdosi appresso di se libri di ratiocinij, e rolli di mensa in grandissimo pregiuditio, & interesse della detta mensa; senza che mai nessuna persona dell'vno, e l'altro sesso hauessero restituito alla detta mensa, ò sapendo l'occupatori, l'hauessero reuelato, à ciò che fossero li principali, o altre persone, che diretta, o indirettamente l'hauessero saputo o lo sapessero: però ad instanza di detto Monſ. Illustriſſ. Vescouo di Siracusa si notifica a tutti i fedeli dell'vno, e l altro sesso di qualunque grado, stato, e conditione si fossero, cosi Ecclesiastici, come Secolari, o Regolari, benche esenti, e della detta Compagnia delli Padri di Giesù, e militia Gierosolimitana; quatenus ogn'vno di loro fra termine di giorni 30. respettiue in ogni luogo da che sarà affissa questa nostra presente notifica; delli quali 10. se li assegnano per la prima, 10. per la seconda, e 10. per la terza vltima Canonica, e perentoria monitione; vogliano, e debbano, voglia & debba ogn'uno di essi restituire, & hauer restituito, reintegrare, & hauere

reinte-

reintegrato la detta mēsa nelle dette cose occultate, & occupate; e quelle persone, che sanno, o sapranno le cose sudette, reuerarle, & hauerle reuelato in Siracusa a detto Mons. Illustriss., ò suo Vicario Generale; e per la Diocese alli Vicarij foranei delli luoghi, doue sarà affissa questa nostra notifica: altrimente fra il termine d'altri giorni noue: che 3. se li assegnano per la prima, 3. per la seconda, e 3. per l'vltima canonica, e perentoria monitione: s'intendano tutti scommunicati papali, come noi in virtù delle presēti ex nunc pro tunc, & e conuerso li dichiaramo; dalla quale mai possano esser assoluti, se prima non haueranno dato la piena sodisfatione alla detta mēsa Vescouale; o à detto Illustriss. Vescouo. Che però; per venire a notitia di tutti, s'è fatta publicare la presente Scommunica Papale nella Cattedrale di Siracusa, e per la Diocese nelle Matrici parrocchiali, e Chiese Sacramentali di esse con farsi affigere alli luoghi soliti, e consueti.

E perche pure importa molto alla detta mensa Vescorale hauer la copia della venditione, seu concessione fatta dello fegho dell'Isola del quale detto Mons. Illustriss. Vescouo n'ha il ius, e n'essige le decime in musto, fromento, orzo, & altri legumi, colle quinquagesime; e tale contratto si troua mutilato dal proto collo del notar quon-

dum Matteo lo Leante fatto a 27. di Agosto 1556. però chi l'hauesse, ò lo tenesse, lo voglia fra l'istesso termine presentare, e sotto l'istesse pene, come si è detto di sopra. Dat. Catanæ 30 Maij 12. Ind. 1644.

D. Angelo Campochiaro V. G. & Deleg. Ap.

Notar Giuseppe Lanzarotto Mag. Not.

Ex actis Cancellariæ Magnæ Episcopalis Curiæ Syracusanæ extracta est præsens copia collatal.

Hieronymus la Rocca Vice Cancellar.

CAPVT VIII.

TEmporum calamitate factum est, vt census, redditus pias ad causas a Testatorũ pietate relicti imminuantur, & in dies magis, magisq; decrescant; vnde illud euenit, vt defunctorum voluntates ex nummorum pecunia nequeant ad vnguem adimpleri: Nos igitur, quorum interest vltimas voluntates exequi, pericula prohibere, futura prospicere, præcimus, vt quilibet operum piorum, & legatorum administrator, seu fide commissus, minimè duobus à præsentium publicatione dilapsis mensibus in scriptis ad nos trans-

mittas

mittat, quot sint ad pias causas redditus dispositi, à quo exscripti Notario, quibus seruētur in actis, quo die, & quo mense dati, quantum singulis colligatur in annis, an sint imminuti, qua serie dispositi, vt opportuna adhibere remedia valeamus: Qui contra faxit, viginti exoluet vncias de proprio.

CAPVT IX.

ADministratorum, Rectorum, & Procuratorum inertiam, &, vt ita dicamus, somnolentiam, & veternum, quo sæpè Ecclesiæ, & piorum locorum bona diminuūtur, suscitare cupientes: Remandamus, vt omnes Beneficiarij, Clerici, Rectores, Procuratores, diligenti inquisitione scrutentur, & curent, ne prædia, & alia quæcumque Ecclesiarum bona ea caducitate laborēt, vt sensim deperdantur. Curent similiter per publica instrumenta recognitiones conficere, & si quæ caduca nacti fuerint, bona reuocare; vt Ecclesiæ iura semper illæsa perdurent. Beneficiarius, qui id exequi contempserit, vnius anni fructus amittet. Piorum locorū Rector, Administrator, aut Procurator de suis bonis illata Ecclesiæ damna resarciat, & omnes à sacris indicta Canonibus supplicia incurrent.

DE CONFRATERNITATIBVS Caput I.

NOsocomia, Confraternitates, Religiosa loca à pijs viris instituta tùm in Vrbe, tùm in Diœcesi maximo sunt emolumento: ijs enim Diuinus augetur honor, pijs exercitationibus enutriuntur animi, pauperũ miseria subleuatur, defunctorũ animæ pijs fideliũ precibus recreantur; ideo optimum duximus nonnullas hic apponere instructiones, vt in dies aliquod acquirant incrementum. Verùm, quia rumor nostras ad aures peruenit, nonnullas siue sæculares, siue quas Tertiarias vocant mulieres, quibusdam in Confraternitatibus, pijs in locis etiam Regularium publicè, vel priuatim nobis inscijs conuenire; vnde aliqua suspicio, & scãdalum ortum habuit: quinimò non inconsideratè timetur, ne sub Dei cultu vitia, & peius aliquod scelus lateat, & occultetur; præscribimus, vt intra mensis spatiũ ad nos deferant, quo id titulo exequantur. Secùs mense elapso, & à nobis licentia non impetrata, sciant, sub pœna excommunicationis tales congressus, & conciones esse interdictas.

CAPVT II.

DElirare, seu è recto tramite exire necessum est,

est, nisi, quibus inhæreamus, præfigantur termini; Ideo ad bonum regimen Confraternitatum quasdam præscribere visum est regulas, vt intentum salutis finem omnes assequantur, & perpetua sodalitates firmitate stabiliantur; quibus si careant, vt improbatas, nullas, & irritas declaramus.

CAPVT III.

CAuti sint à nobis probati sacerdotes, ne sodalitatum fratres à Bulla Cœnæ casibus, vel ab ijs sedi Apostolicæ, aut nobis reseruatis, exoluant, aut super irregularitate dispensent; quod si qui absolutionem, aut dispensationem extorserint, sciant, se esse adhuc culpis irretitos, & non absolutos. Nam aggregentur sodalitijs, nisi qui sextũ supra decimam expleriat annum; qui bonis sint moribus instituti; nullo inquinati scelere fidei rudimenta didicerint, & promptam superioribus exhibituri videntur obedientiam; quam si quis præstare refragabitur, è sodalitatis albo expungatur. Hospitalium œconomi infirmos non acerbo, aut seuero, sed hilari, & sereno recipiant vultu, nec quid illis deesse patiantur, quod necessarium existimatur, vt in pristinam redintegrentur valetudinem. Mulieres distinctis non modo in lectulis, sed etiam in habitationibus collocen-

locentur; & omnibus, quæ corporibus, & animabus opportuna iudicãtur, remedia subministrentur. Singulis autem annis ab hospitalium curatoribus nobis vel à nobis designãdis suæ administrationis est ratio reddẽda, si ius iuxta Tridentini form ã eligendi nõ habeãt; quibus tamẽ noster accedat assẽsus. Curent similiter, ne solutiones de die in diem prorogent debitores; detentores bonorum ad restitutionem adurgeãt; omnia impedimenta submoueãt, ne pia loca pecuniarum & suorum bonorum inopia deprimantur; Ecclesiam sui reponant in iura, & Rectores aliter eo elapso officio depositos esse declaramus; nã vltimo anni die eorum administratio terminatur.

CAPVT IV.

CVm Procuratores, Thesaurarij sunt eligendi, nos in Vrbe, Vicarium foraneum in Diœcesi adeãt, & per vota secreto adscriscantur, & deliganturi; ij tamen maiori sodalium parte sunt eligendi, qui nostræ subiacent ditioni, nisi nostram in scriptis impetrarint facultatem, quam sine mercede noster transiget, & expediet Cancellarius Qui in Procuratores &c. sunt referendis ære Ecclesiastico non sint oppressi, non eorum consanguinei, qui pecuniam debent Ecclesiæ;

nec ij, quibus cum aliqua lis, & versura, seu interesse intercedit; electi anno non absoluto mutari nequeant; nam, si nostra non accesserit licentia, nouam electionem irritam, nullam, inualidã pronunciamus. Nullo modo ad matrimonia seu fide commissa puellæ admittantur, nisi legitimati merces fuerit ijs, qui præcessere, seu anterioribus soluta, & ijs, qui appositas adimpleuere cõditiones; sub pœna vnciarum decem. Nec ipsi, aut alij fide commissi, vt puellas pro coniugijs excribant, earum domos adeant, & disquirant; sed ipsas expectent puellas, quæ suam exponant voluntatem; qua admitti discupiunt; illisq; in libello adnotatis Curatores notam deputatis sub pœna excommunicationis deferant, & consignent.

CAPVT V.

CVm nostrã pro cura Pastorali inuiseremus Diœcesim, magno nostri cordis sensu compertimus non paucas sortes, vulgò Capitalia, ea de causa esse deperdita, quod Depositarij fidem in nostræ M.C. Tabulas, seu acta non retulerint: quamobrem, vt Ecclesiarum bona sarta tecta, seu illæsa seruentur, Depositarij Monasteriorũ, Ecclesiarum, & locorum piorum fidem ad nos tertio quoque mense trãsmittant, in qua sortes om-

nes, seu capitalia recensita sint, quo tempore ad ipsos peruenerũt, vt opportunè ad Monasteriorũ & Ecclesiarum vtilitatẽ possimus adhibere remedia: Qui id exequi neglexerint, vncijs plectentur viginti.

CAPVT VI.

DEputatos à nobis in nostra visitatione librorũ detentores confirmamus; ipsi tamẽ intelligant, se, quarto quoq; mense ad nos referre debere, an Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum bona, redditus, census, & fructus rectè insumãtur, &, vt loqui assuetum est, per mandata expendantur; secùs ipso facto officio deponuntur, & omnes stipendio Administratores electi, vadimonium præstent, seu fide iubeant.

CAPVT VII.

DEpositarij pecunias, quas penes se detinent, nullo modo dare mutuas audeant, etiamsi aurea deferantur pignora, nec etiam apocas, & solutionum conficiant chirographa, nisi re vera pecuniæ summa, quæ debebatur sit persoluta, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

CAPVT VIII.

NOn solum testatū, sed & comprobatum habemus hominibus fide dignis, quod in sacris peragendis accedente nocte licentia nihil flagitij prætermittatur ab ijs, qui peccare conantur, & quod minorem habeant peccandi facultatē, quibus nox maximè aduersaria est, cum pudore, aut metu cōtineantur: Præcipimus ideò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, ne imposterum nocturno tempore post signum salutationis Angelicæ, vel ante solis ortum quilibet cuiuscumq; gradus, status, vel conditionis existat, velit præsumere hic in Vrbe, vel quouis alio in loco nostræ Diœcesis nocturnam Concionem habere, conuentus, cætusq; congregare ad ea peragenda, quæ spectant ad res spirituales; mandantesq; nostris Vicarijs, tùm Generali, tùm foraneis, vt hos nocturnos cætus vitari omnimodè curent,

CAPVT IX.

NVllus quacumq; dignitate, & statu fulgeat nouas erigat sodalitates, & Confraternitates, nullusq; audeat nouas Cōgregationes instituere

tuere, si nostram antea non impetrarit facultatem, & si quæ erectæ institutionis, & erectionis priuilegio carent, intra mēsis vnius terminos curēt illud à nostro Cancellario expediri, eorumq; instituta, quæ exercere cupiūt, ad nos trāsmittāt.

CAPVT X.

IN Vrbe sine nostra, aut nostri Generalis Vicarij, & in Diœcesi sine Vicarij foranei facultate eleemosina à nullo corrogētur, nec frumenta, vina, olea, & pecuniæ a fidelibus deposcantur: At si facultas intercesserit, omnia à fidelibus collecta in Depositarij, aut Thesaurarij manus deponantur, vt cum Vicarij votis, & suffragio Ecclesiarum necessitatibus occurramus.

DE MONIALIBVS. Caput I.

VT summis sunt extollendæ laudibus Virgines, quæ contemptis mundi huius illecebris Diuino se manciparunt obsequio, & votorum vinculis suā Christo in claustris illigarunt libertatem: sic earum studia nostris sunt nutrienda præceptis, ne quid à salutis tramite aberrent, aut negotiorum sæcularium pondere à suscepto tramite remoueantur; harum igitur quælibet ijs

se exerceat ministerijs, quæ sua non dissonent à professione, & quæ à superioribus præscribentur: cùm diuina persoluant officia in Prima, Completorio, & Confiteor nihil immutent; nullius Sancti nomen, etiam Patroni vnquam apponant, nec vice Pater, & fratres, tibi Mater, vobis sorores pronuncient: sed ea tantum verba proferant, quæ communis loquela profert ex Decreto sacræ Congregationis. Nomina item, quæ prophanum sonant a se procul amandent, nec Donnas, vt vulgò dicimus, aut simile sibi nomẽ vsurpent.

CAPVT II.

NVllus siue vir, siue mulier fuerit quoqunq; ætatis, gradus, dignitatis titulo, & splendore reniteat in Monasterij septa gradum, & pedem inferat: Casus tamen excipimus Apostolicis permissos Cõstitutionibus, in quibus eæ sunt ad apicem vsque seruandæ circumstãtiæ, & cautiones, quas Apostolica præscripsere decreta; At si quis impudenter, & ausu temerario Apostolicas, & Tridentini fregerit sanctiones, excommunicatione Romano reseruata Pontifici se irretitum sentiat.

CAPUT. III.

SI quando Medicis, Chirurgis, Tonsoribus, Fabricatoribus facultatē Monialium claustra ingrediendi concedimus, sedulo ipsis cauendum est studio, ne data vtantur facultate, nisi vehemens, & necessaria adurgeat causa; et tunc solummodo pedes inferant, cū necessariò eorum industria, & labor requiritur; licentiā in scriptis se penes habeant: Ante solis ortum, & post solis occasum ingredi non præsumant, senioribus associatis recto tramite ad locum in firmis designatū procedant; longas ibi non nectant moras, & antequam septa Monasterij peruadant, paululum circa vestibulū immorētur, donec dato tintinnabuli signo in cellas se Moniales receperint. Et singuli in nostris, vel aliorū, quos deputabimus, manibus iure iurando polliceantur, se prædicta ad vnguem seruaturos decreta.

CAPUT IV.

SAcerdotes, quibus facta fuit à nobis potestas, Missas celebrandi, & preces persoluendi, hisce absolutis Monasterijs vna cum ministris vlla sine mora discedant; nec ad miscendos cum Monial-

nialibus sermones vllo modo declinent; nam supra pœnas contra miscentes colloquia cum Monialibus inflictas, accessus ad supra memorata Ecclesias per omne tempus subsequens denegabitur. Hoc idem præceptum reliquos omnes homines obstringit, qui illas adeunt Ecclesias, vt preces fundant; debent enim diuinis persolutis officijs omnes moras rumpere, è templo egredi, nec concionibus, quę ad Moniales habentur, possunt interesse, nisi hæ tunc temporis fiant, quando horarum quadraginta oratio, & preces fundantur.

CAPVT V.

PRopè Monialium meretrices, & aliæ mulieres, in quas facilè absurda cadit suspicio, suas domos non habeant; nec ante Monasteria exerceantur spectacula, ludi, saltationes, aut alia prophana exercitamenta, ne à sacris deducantur Moniales officijs, & aliqua offensionis causa inde nascatur. Contrarium ausi excommunicationis pœna ligabuntur.

CAPVT VI.

NVllus sine nostra in scriptis licentia Moniales alloquatur sub pœnis infra numerandis: mulie-

mulieres tamen consanguinitate, aut affinitate à primo ad quartum inclusiuè gradum cũ Monialibus coniunctas exemptas volumus. Verùm à primo Aduentus die Dominico vsq; ad Christi natalitia, & à quarta Cinerũ feria vsq; ad Resurrectionis Dominicæ diẽ bis in mense miscere cũ Monialibus sermones possunt eę tantũ mulieres, quas inter primus, & secundus consanguinitatis, aut affinitatis gradus intercedit: hæc tamen facultas tempore, quo in Ecclesia sacro litatur, vel Diuina recitantur officia, vel Moniales suarum animarum vires sacro solidant, & reficiunt cibo, illis non suffragatur. Viri etiam seruatis memorati Decreti temporibus, si primo consanguinitatis gradu coniuncti fuerint, possunt per annum cũ prudẽti iudicio pluries accedere; in Aduentu tamẽ, & Quadragesima duas in mense vices non excedãt. Eos verò, qui secundo sunt consanguinitatis gradu obstricti, bis quolibet anni mense illas adire non abnuimus; at in Aduentus, & Quadragesimæ tempore omni in mense illis interdicimus; & Clerici in subsidium excommunicationis vncias decem exoluent; Laici verò excommunicationis nexu innodantur. Nouerint etiam omnes negatã illis interpetrandi, aut extẽdendi facultatẽ, illas enim alloqui nequeũt; in portis, organis, cancellis, vel paruis fenestris, si quę sunt in Ecclesia repotę; si sed eo tãtũ in loco,

qui

qui cratibus septus est, & alloquijs deputatus.

CAPVT VII.

SCiant Clerici, & Saeculares omnes quaecumq; conditione, & dignitate polleant, acriter illis interdictum, litteras, schedulas Monialibus scribere, aut scriptas a se, vel ab alijs ad Moniales mittere, quocumq; sub titulo fiant; poenam carceris per sex menses, neq; exarantes, neq; scribere imperantes, neq; deferentes euadent; excipimus tamen Abbatissam. Nullus etiam Clericus, aut laicus quacumq; dignitate insignitus, siue noctu, siue die septa Monasterij fidibus, aut alio quouis musico instrumento circumire audeat, aut cantilenas emodulari : secus cuiuslibet temeritas in subsidium excommunicationis viginti quinq; singulis vicibus punietur vncijs. Nec vllo modo fiat illis potestas, vt accedat causa illas erudiēdi, cimbali, aut alterius instrumenti pulsandi, aut musicam illas, & cantum edocendi; concessasque hactenus licentias reuocamus.

CAPVT VIII.

NOn facile quis sibi Procuratoris, Aduocati, Exactoris, & negotiorum gestoris curam

curam assumat ijs in rebus, quę ad Moniales spectant; nisi illis facultatem dederimus, & nostro probauerimus iudicio, nec habita facultate alijs cum Monialibus, quàm cum Abbatissa, & alijs designatis de Monasterij negotijs aget, aut pertractet: eorum cura vltra triennium nullo modo protrahatur, sed vltimo elapso die moritur, & expirat.

De Electione Abbatissæ. Cap. I.

CVm aliqua ex Monialibus in Abbatissam, vel vt loquuntur, Priorissam, Præfectam, & Præpositam est eligenda; compertum omnibus esse debet, illam annum explesse quadragesimum, & à Professionis publicæ die octo laudabiliter annos insumpsisse iuxta Tridentini decreta Concilij. Igitur Moniales, quæ ferre suffragia debēt, sub pœna priuationis actiuæ & passiuæ vocis ad annum, vllam in Abbatissam non eligant, in qua prædicta ætas, & conditiones non elucescunt, & electa sit ipso facto nulla. Quoniam verò multa inde Monialibus proficiscuntur damna, & bonum Monasterij regimen aut euertitur, aut deteritur, si absoluto superioris munere, alia illi consanguinea in officium subrogatur, præcipimus, vt imposterum nulla in Abbatissam eligatur Monialis, quæ primo cōsanguinitatis gradu cum

ea quæ immediate in Monasterij administratione præcessit; secùs irrita, & nulla erit Electio.

CAPVT II.

ANte Electioné pleræq; Moniales ambitione ductæ suffragia sibi emendicare non erubescunt; ideò sub pœna priuationis actiuæ vocis, & passiuæ per annum, & excommunicationis latæ sententiæ nulla siue ad monialium, siue ad sæcularium preces, & instantias suum polliceatur suffragium, nec ante electionem, quod datura erit votum, euulget; & in easdem incidet pœnas, quæ pro tali electione aliquod munus acceperit.

De Vita Communi Monialium. Caput II.

QVandoquidē innumera, si Moniales à communitate recedant, emanãt damna, quæ regularem euertunt, ac omnino destruunt disciplinam; decernimus, & omni rigore iniicimus, vt omnes Moniales siue Vrbis, siue Diœcesis Monasteria incolentes, intra duorum mensium spatia à præsentium publicatione, ad communem victum, & vestitum se referant, & reducant. Nec peculium, aut quid, quod proprietatem oleat, habere præsumant; secus pœnas à sacris

contra proprietarios præscriptas Canonibus incurrent. Quod si proprium quid se penes habeant, eundē infra terminum ad Abbatissam deferant, & omni se proprietate denudent, vt opibus nudæ nudum sequantur Iesum. Omnium habitus, & vestitus sericum habeat nihil, lana, seu lino texatur, & vnius habitus ab alterius colore, aut forma non dissonet.

CAPVT II.

EXtra Monasteriū annona seruetur, nec Moniales frumentum, vinum, oleum &c. quæ ad victum necessaria videntur, inter se diuidant, aut dispertiant; & vt malum hoc, quod posset enasci, stirpitus eradicetur, Abatissa sub pœna suspensionis per mensem ab officio, quæ necessaria videntur, vt Monialium vita commodè substentetur, comparet, & in mensa proponat, ne possit vlli querelarum occasio, & querimoniæ causa crearı.

CAPVT III.

CVilibet Monialium vetitum est, ancillam ad suos vsus, & famulatum habere; & si quæ absq; nostra facultate reperiuntur, ad Monasterij totius famulitium applicentur. Curent

Anti-

Antiſtitę (vbi noſtra intercerſſerit facultas, vt aliqua ingrediatur famula) illam, vt conuerſam recipere: & ſi quæ ſunt in Monaſterio, ſtatim, vt loqui ſolemus, conuerſæ fiant; ſecùs ab officio per ſex mẽſes ſuſpendentur; proprias habere cellas, conopæa, puluinaria, culcitras, & ſericas in lectulo ſtragulas non poſſunt, ſub pœna noſtro arbitrio.

CAPVT IV.

SI Monalium aliqua particulares habeat redditus, vel quid illi donatum, legatumq; ſit, hoc à Procuratore Monaſterij eſt exigendum, & Abbatiſſæ conſignandum, quæ ex illa pecunia aliquid in neceſſitates ipſius Monialis, cuius cauſa exactum eſt, impendet: quod ſupereſt, in totius Monaſterij conferendum eſt vſus; quod idem de illis ſentiendum eſt, quæ manuum labore, & induſtria, aut à parentibus datum aliquid ſibi comparant, ſub pœna noſtra voluntate decernenda. Studeat etiam Monaſterij præſes, vt in valetudinario nihil infirmis neceſſarium deſideretur: ſed materni amoris omnes tractet ſignis, & nullas monialibus neceſſarias res deeſſe patiatur.

CAPVT V.

NEmini Monialiũ, etiam Abbatiſſæ, de in-

clusis munera elargiri quolibet prætextu licet, & scrupulosè Vrbani VIII. vltimo edita est seruãda bulla: permittimus tamẽ, vt Abbatissa queat Procuratori, Cappellano, alijsq; Monasterio inseruientibus in Christi Natalitijs, in Paschatis solemnijs, & diebus baccanalibus leuiora esculenta, & poculenta de communi largiri; dummodo singulis vicibus duodecim tarenorũ sũma non excedatur. Posũt itidem eodẽ tẽpore Moniales ijs, quibuscum primo, vel secundo Cõsanguinitatis, aut affinitatis gradu cõiunctæ sunt, leuiora de communi tantum cum Antistitæ assensu donare munuscula, quæ summam sex tarenorum non superent, aut excedant.

De Clausura Monasterij Caput I.

MOnasterij parietes, & clausuræ à priuatis dissitæ sint, & disiunctę domibus, & quoad fieri potest, insulas imitentur. At si in his ad id temporis extructis nõnullæ domus adhærent, ipsius Monasterij parietes duplici obuallẽtur pariete, & antemurale construatur, quod ad tãtam debet excrescere altitudinem, vt mutuus in sæcularũ domos, & fenestras impediatur obtutus. Monasterij parietes fenestris careant; & si luminis recipiendi necessitas impellit, eo sunt construen-

dæ modo, vt difficilis ad illas Monialibus reddatur ascensus, & ferreis sunt intra mensem communiendæ cratibus: secus Antistita per menses sex ab officio suspendetur. Verùm si quæ sunt intra Monasterij septa fenestræ, quæ faciliter à viciniorībus sæcularium domibus cõspici possunt, cancellis ad minus ligneis intra mensem sępiantur, ni velit Abbatissa per mensem suspendi.

CAPVT II.

SInt extra Ecclesias rotę, & locus alloquijs destinatus; verùm si quæ in Ecclesijs reperiuntur, illas occludi omninò volumus; ea tamē Abbatissæ sub pœna suspensionis quatuor vix elapsis à præsentium publicatione mensibus extrui curet seruatis, quæ in nostra præscripsimus visitatione, statutis. Crates, vbi sermones misceri debent, ferro sint compositæ, & duplicatæ, ita vt anterior ab interiori duos per palmos distet, & dissideat. Quod si vna tantum sit acutis, & ad digiti spatium protensis armata clauis, hanc satis esse iudicamus; omnes tamen obserari crates a parte interiori debēt, & claues ab Abbatissa detineri; ita vt sine illius facultate à nemine valeāt recludi; vbi tamen rota in Ecclesijs circumagitur, duę ex ligno compactæ sunt apponendę

val-

valuæ; illius, quæ partem respicit interiorem, clauis sit penes Antistitam; alterius, quæ exteriorem prospicit, à Cappellano, vel ab altero, si nobis visum fuerit, seruetur.

CAPVT III.

VEctis magna à parte exterioris clausuræ ianuam occludant, cuius clauis semper penes Capellanum esse debet, qui per seipsum non ante solis ortum, nec post solis occasum illā claudere debet, & recludere. In parte interiori duæ diuerso factæ artificio, & diuersis claudendæ clauibus sint seræ insertæ, quarum alteram Antistita, alterā Vicaria se penes habebunt; secus vtraq; per mensem suspendetur; ex parte etiam interiori valuæ figantur mobiles, quarum altitudo decem expleat palmos, latitudo ianuæ exterioris cardines palmis superet duobus. Has ingredi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus interdictum: Mulieres, Agalones, aliosq; sarcinas, aut alia ad Monasterium necessaria deferentes, excipimus; quam excōmunicationis pœnam Moniales etiam incurrunt, si in spatium quod inter valuas, & ianuam exteriorem extenditur, inferre pedem, quacumq; de causa fuerint ausę, nisi exterior ianua fuerit occlusa: quo in decreto nec

Abba-

Abbatissa, nec Vicaria in soluantur; ipsarum enim est cura, ianuas perserutari, & custodire.

DE NOVITIIS. Caput I.

AD tyrocinium peragendum nulla admittatur, nisi vbi communis vita, & regularis viget obseruantia; quæ aggregari debet, annū duodecimum ætatis agat, honestis, & legitimo iunctis matrimonio parentibus sit procreata; nostra etiā in scriptis præcedat facultas: in Tyrocinium receptæ habitum a Regula dissidentem non deferant; ex earū si dote vnciæ duodecim redditus annualis colligantur, nouissima seruata pragmatica, vt centum vnciæ quinq: parturiant, vulgò, quinq, pro centenario; & prædij valor, vel pecuniarum summa, & sors, quæ ducentas quadraginta compleat vncias, penes depositarium electum realiter deponatur. Alimentorū verò summa tempore, quo in Tyrocinio Nouitia moratur, anticipatè soluenda est; ijs tamen exceptis Monasterijs, in quibus aliquæ ad certum numerum ex pijs testatorum voluntatibus gratis sunt recipiendæ, & substentandæ. Pro qua receptione sub pęna excommunicationis Moniales, Procuratores, aliæq; personæ aliquid, etiam spontè oblatum, recipere nequeunt: nec viduæ impo-

sterum vitam in Monasterijs traducant habitu laicorum indutæ.

CAPVT II.

SIngulis annis è prudentiorũ Monialium numero Præses Nouitiarum & Magistra seligatur, vt puellas instruat, regulas edoceat, ad legendum informet, præceptiones, quibus iuxta suæ Religionis præscripta diuinum sit ordinandum officiũ, explanet & ad vitæ sanctimoniam suis exemplis erudiat; seiunctus à communi nouitiarum sit locus: inibi Nouitiæ, & illarum Præses tantum inhabitent, & nullo modo aliæ Moniales quolibet consanguinitatis, & affinitatis colore introducantur, aut earum suscipiant curam. Nouitias cum sæcularibus siue viris, siue mulieribus sermones habere non sinat, nisi his in casibus, in quibus solos accedere parentes à nobis permissum est. Posterò vltra numerum designandum plures non recipiãtur nouitiæ in Monasterijs; & tertia soror, si Apostolicam non impetrauerit licentiam, omnibus est reijcienda modis.

CAPVT III.

ANtequam probationis annum nouitia compleat

pleat, non cunctetur Abbatissa nouitiæ mores nobis explicare, ne vltra annum professio protrahatur; & si diuinum ordinare officium didicerit, & explorata ipsius à nobis deputanda voluntate, si nostra in scriptis accesserit licentia. Si deniq; nihil ex ijs deest, quæ iuxta Tridentini prescripta Concilij requiruntur, professionem emittat, vota publicè nuncupet; debet tamen deputatus, & Abbatissa nouitijs votorum onus exponere, illasq; sermonibus pellicere, vt iure iurando se obstringant, vitam communem, paupertatem, regulas infra prescribendas ad vltimum vsque vitę spiritum se seruaturas.

De Obseruantia Regulæ. *Cap. I.*

SAepius, vel saltem singulis mensibus Constitutiones, & nostra Decreta in refectorio, vel alio ad id loco destinato perlegantur, & Abbatissa sub pœna suspensionis ad mensem curet omni diligentia, vt ea, quæ seruanda sunt, Monialium vnaquęq; seruet, & exequatur; singulis diebus hora non absurda ab Abbatissa prescripta per vnius horę spatium diuinarum rerum commentationi se dedant; quę vero mente cœlestia meditari nesciunt, mysticum B. Virginis Rosarium globulorum numeratione persoluant.

CAPVT II.

ANtiſtita nullo modo ſinat, Moniales mortem conſanguineorum, vel affinium comploratu, & fœmineis proſequi vlulatibus; nec etiam prima luctus die à ſacris, & Choro abeſſe, aut pullato, & lugubri indui veſtitu patiatur: ſecus Moniales, quę id fecerint, priuationem vocis actiuę, & paſſiuę inibũt; Antiſtitę, quæ id permiſerint, per menſium ſex ſpatia officio priuabuntur. Scalę ligno confectę, quę poſſunt ad nutum amoueri tam in parte interiori Clauſtri, quam in exteriori etiam in Eccleſia non detineantur. & ſi quæ ſunt, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ nulla mora interpoſita procul abjciantur. Nulla etiam Monialium aliquod vt proprium in ſeptis nutriat animal; ea tamen tantummodò detineri patimur, quę ad communem Monaſterij neceſſitatem, & vſum videntur neceſſaria.

CAPVT III.

EXcommunicationis latę ſententię vinculis innodamus quaslibet Moniales, quæ litteras, & ſchedulas ad exteros, & à Monaſterij ſeptis ſeiunctos mittere fuerint auſæ, aut ad ipſas miſ-

missas recipere: quod si euenerit, vt aliqua ipsis epistola à parentibus, aut consanguineis deferatur, eam reserare, & legere nequeunt; sed obsignatas litteras Abbatissæ tradant aperiendas, & legendas: quæ vbi eas oculis perlustrarit, si visum fuerit, ijs, ad quas diriguntur, tradat; quæ etiã sub pœna prohibemus, ne libros à nobis nõ approbatos, aut, qui spiritum non sapiunt, detineant, perlegantue; ne recreationis tempore ioci, aut alterius rei gratia virorum se habitu vestiant, arma cingant, aut personatæ procedant.

CAPVT IV.

Circa alloqutiones cum Monialibus ea religiose sunt obseruanda, quæ in capite sexto de Monialibus recensuimus: hic tamen addendum videtur, vt hæ, cum miscentur colloquia, conditiones seruẽtur: prima, vt Monialis ab Antistita facultatem, & benedictionem requirat; secunda, vt auscultatrix interueniat; tertia, vt eo in loco sermones misceantur, qui ad alloqutiones est deputatus: at Antistita omnes, quæ deferuntur in scriptis, facultates diligenter asseruet, vt nobis illas exhibeat, si quando repetemus, secus ab officio per annum suspendetur; aduertat tamen, vt tempore æstiuo à meridie ad vesperas

vſq; loca ad ſermones deputata, ſeu colloquutoria, & Eccleſiæ oſtia ſint clauſa, & obſerata.

CAPVT V.

MOniales, quibus ianitricis, Sacriſtę, Rotariæ, ſociatricis, & Auſcultatricis munus demandatur, quadrageſimũ excedãt annum, aut quantam fieri poteſt, maturæ ſint ætatis: Sociatrices itidem perſonas, quibus clauſtra Monaſterij permiſſum eſt ingredi, ſemper comitentur.

CAPVT VI.

A prima noctis hora ad ſolis ortum lampas in dormitorio ſemper accenſa præniteat ſub pœna ſuſpenſionis; & antequã Moniales decumbant, & cubitum eant, ſignum tintinnabuli detur, vt vnaquæq; ante Chriſti imaginem prouoluta ſuæ conſcientiæ latebras examinet, & diurnos actus exquirat, & trutinet.

CAPVT VII.

DVos intra menſes à præſentium publicatione inuentarium Abbatiſſæ conficiant, aut confici curent, in quo ſupellex, & bona omnia,

quæ

quæ in Monasterio seruantur, excribantur, quo quid consumptum, aut quid de nouo superuenerit, dignoscatur. Sortes, seu capitalia censuum casu relutionis, & deposita in arcam ad id muneris deputatā reponantur: si Monasteriū Depositario à nobis designato careat, & sine nostra in scriptis facultate, pecuniæ nec mutuę dentur, nec ad nouos census, aut res stabiles coëmendas tradantur. Sciant itidem Abbatissæ sub pœna priuationis officij, & inhabilitatis ad cœtera, se non posse quid etiam minimum supra redditus annuos expendere: aromata, si quibus afferuantur ad Monialium necessitates in Monasterijs, Cappellanis, alijsq; ministris nec mercede, nec gratis tribuantur.

CAPVT VIII.

SI quæ fiunt pro edulijs expensæ de die in diem, etiam ab Antistita distinctè in libello excribantur, & die quolibet hebdomadis sabbato in omnium præsentia perlegantur in mensa, vt cuique compertum sit quantum, & quæ pecuniæ summa expendatur.

DE CAPPELLANIS. Cap. I.

MOnasteriorum tam in Vrbe, quam Diœcesi Cappellani ad vnius anni spatium

perdurent; quo dilapso, ipso facto, ab officio suspenduntur: ideòq; vltimo, quo completur annus, mense nos studeant reddere certiores, vt apto, & opportuno Monasterij necessitatibus tempore consulamus: loqui cum Monialibus in colloquutorio, vt hac vtamur voce, nequeunt, nisi cum Antistita, Vicaria, Sacristis, & tantum de rebus, quæ ed earum curam pertinent, agãt: Nec in confessionibus vllum sermonem misceant, qui ad Confessionẽ non dirigatur, & ordinetur. Cappellani, Procuratores, Exactores, Sacristæ, Thesaurarij absoluto suorũ munerum tempore Monasterium, cui suas elapsis diebus deuouerunt operas, non adeãt, quicumq; intercesserit titulus; secus anathemate afficientur.

CAPVT II.

SI fortè Regularium quisquam, etiam primo cum aliqua Moniali consanguinitatis coniunctus gradu, vt illã alloquatur accesserit, Cappellanus nullo modo permittat, nisi impetratam à nobis facultatem legerit, quam penes se sub pœnis nostro arbitrio detineat: eademq; sub pœna musicos ad Missas decantandas, aliaq; diuina officia præcinenda admittere non audeat; excludat etiam omnes alios, qui illas celebrarent, & pre-

preces Gregoriani cantus tenore recitarent, si nostra non præcesserit in scriptis licentia. Organa lignëis vndequaq; ita sint munita cancellis, vt musici nec Moniales, nec sæculares perspicere queant; secus nostra illis non suffragabitur data facultas, & ergastalis quatuor detinebuntur ad menses; Monialibus tamen musices scientia peritis quid, dum Missa decantatur, & in vna tantum ex priuatis musicis instrumentis, præcinere licet.

CAPVT III.

CVm ad Confessiones Monialium excipiendas extra ordinarios iuxta Tridētini Concilij sanctiones deputamus, caueant ne aliquid ab ipsis Monialibus accipiant; quod etiam sub pœna suspensionis, ipso facto, ij seruare debent, qui nostro mandato ad suffragia colligenda Monasterium adeunt.

CAPVT IV.

CVrent Cappellani, vt præceptiones, quæ in nostris generalibus sunt insertæ decretis, ad vltimum vsq; seruentur apicem; eas enim vim habere legis volumus, non secus ac, quæ in hisce nostris Synodalibus inseruntur. Cōstitutionibus

quod

quod si aliqua in generalibus inclusa decretis in visitatione emanatis his præsentibus forsitan dissonare statutis videbuntur; volumus, vt Decreta in visitatione promulgata, & exarata inuiolabiliter, & omni diligētia exequātur; secus pœnas, quæ in generalibus præscribūtur Decretis, incurrant.

DE IMMVNITATE ECCLESIAstica Caput I.

SI Gregorij XIV. circa Ecclesiarum immunitatem religiosè custodiretur diploma, profectò Clericos sæculares Magistratus vexare nō auderent, & innumeris se non implicarent labyrinthis. Sciant igitur omnes ab omni iure tum humano, tùm Diuino Clericos, & qui Ecclesiastico cultui se deuouerūt, à gabellarū solutione, & vectigalium, datiorum, pedagiorū oneribus exemptos esse, & immunes; Ideo suis in concilijs, & congressibus Vniuersitates, & Magistratus sæculares nihil decernere, statuere, & publicare audeant, quod Clericorum immunitatem lædat, deterat, aut imminuat. Nec Vectigalium exactores bona Clericorum, aut Regularium siue virorum, siue mulierum directè, vel indirectè molestijs afficiant; si enim impudēti temeritate id ausi fuerint, excōmunicationis nexibus illigentur; omnesq;

nesq; Constitutiones, & Decreta, quæ Ecclesiarum immunitatem minimo quouis modo collidunt, & offendunt, irritas, nullas, & nulla firmitate roboratas esse sancimus.

CAPVT II.

NVllus Curiæ sæcularis minister quauis de causa aliquem ab Ecclesia foras abripiat, aut extrahat; nisi nostram prius impetrarit licentiam; secus vltra pœnam nostro arbitrio, in excommunicationem Pontifici reseruatam incidet: cui etiam subiacebunt tum mandantes, tum qui consilium, & fauorem præstiterint; & si noster fuerit minister, ad viginti soluendas vncias adiudicabitur.

CAPVT III.

POenis nostro arbitrio decernendis plectetur quilibet sæcularis quacunq; conditione, aut dignitate spectandus, qui in Ecclesijs, vel in earum domicilijs, etiam laicis locatis hospitium militibus præbere non extimuerit.

CAPVT IV.

AEquo ferre nequimus animo, Clericos, &

clusis munera elargiri quolibet prætextu licet, & scrupulosè Vrbani VIII. vltimo edita est seruāda bulla: permittimus tamē, vt Abbatissa queat Procuratori, Cappellano, alijsq; Monasterio inseruientibus in Christi Natalitijs, in Paschatis solemnijs, & diebus baccanalibus leuiora esculenta & poculenta de communi largiri; dummodo singulis vicibus duodecim tarenorū sūma non excedatur. Possūt itidem eodē tēpore Moniales ijs, quibus cum primo, vel secundo Cōsanguinitatis, aut affinitatis gradu cōiunctæ sunt, leuiora de communi tantum cum Antistitæ assensu donare munuscula, quæ summam sex tarenorum non superent, aut excedant.

De Clausura Monasterij Caput I.

MOnasterij parietes, & clausuræ à priuatis sitæ fiat, & disiūctę domibus, & quoad fieri potest, insulas imitentur. At si in his ad id temporis extructis nōnullæ domus adhærent, ipsius Monasterij parietes duplici obuallētur pariete, & antemurale construatur, quod ad tātam debet excrescere altitudinem, vt mutuus in sæcularū domos, & fenestras impediatur obtutus. Monasterij parietes fenestris careant; & si luminis recipiendi necessitas impellit, eo sunt construen-

dæ modo, vt difficilis ad illas Monialibus reddatur ascensus, & ferreis sunt intra mensem communiendæ cratibus: secus Antistita per menses sex ab officio suspendetur. Verùm si quæ sunt intra Monasterij septa fenestræ, quæ faciliter à viciniorib. sæcularium domibus cõspici possunt, cancellis ad minus ligneis intra mensem sępiantur, ni velit Abbatissa per mensem suspendi.

CAPVT II.

Sint extra Ecclesias rotę, & locus alloquijs destinatus; verùm si quæ in Ecclesijs reperiuntur, illas occludi omninò volumus; ea tamẽ Abbatissæ sub pœna suspensionis quatuor vix elapsis à præsentium publicatione mensibus extrui curet seruatis, quæ in nostra præscripsimus visitatione, statutis. Crates, vbi sermones misceri debent, ferro sint compositæ, & duplicatæ, ita vt anterior ab interiori duos per palmos distet, & dissideat. Quod si vna tantum sit acutis, & ad digiti spatium protensis armata clauis, hanc satis esse iudicamus; omnes tamen obserari crates a parte interiori debẽt, & claues ab Abbatissa detineri; ita vt sine illius facultate à nemine valeãt recludi; vbi tamen rota in Ecclesijs circumagitur, duę ex ligno compactæ sunt apponendę

valuæ; illius, quæ partem respicit interiorem, clauis sit penes Antistitam; alterius, quæ exteriorem prospicit, à Cappellano, vel ab altero, si nobis visum fuerit, seruetur.

CAPVT III.

VEctis magna à parte exterioris clausuræ ianuam occludant, cuius clauis semper penes Capellanum esse debet, qui per seipsum non ante solis ortum, nec post solis occasum illã claudere debet, & recludere. In parte interiori duæ diuerso factæ artificio, & diuersis claudendæ clauibus sint seræ insertæ, quarum alteram Antistita, alterã Vicaria se penes habebunt; secus vtraq; per mensem suspendetur; ex parte etiam interiori valuæ figantur mobiles, quarum altitudo decem expleat palmos, latitudo ianuæ exterioris cardines palmis superet duobus. Has ingredi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus interdictum: Mulieres, Agalones, aliosq; farcinas, aut alia ad Monasterium necessaria deferentes, excipimus; quam excõmunicationis pœnam Moniales etiam incurrunt, si in spatium quod inter valuas, & ianuam exteriorem extenditur, inferre pedem, quacumq; de causa fuerint ausę, nisi exterior ianua fuerit occlusa: quo in decreto nec

Abba-

Abbatissa, nec Vicaria in solutur; ipsarum enim est cura, ianuas perseruari, & custodire.

DE NOVITIIS. Caput I.

AD tyrocinium peragendum nulla admittatur, nisi vbi communis vita, & regularis viget obseruantia; quæ aggregari debet, annū duodecimum ætatis agat, honestis, & legitimo iunctis matrimonio parentibus sit procreata; nostra etiā in scriptis præcedat facultas; in Tyrocinium receptæ habitum a Regula dissidentem non deferant; ex earū n dote vnciæ duodecim redditus annualis colligantur, nouissima seruata pragmatica, vt centum vnciæ quinq; parturiant, vulgo, quinq, pro centenario; & prædij valor, vel pecuniarum summa, & sors, quæ ducentas quadraginta compleat vncias, penes depositarium electum realiter deponatur. Alimentorū verò summa tempore, quo in Tyrocinio Nouitia moratur, anticipatè soluenda est; ijs tamen exceptis Monasteriis, in quibus aliquæ ad certum numerum ex pijs testatorum voluntatibus gratis sunt recipiendæ, & substentandæ. Pro qua receptione sub pœna excommunicationis Moniales, Procuratores, aliæq; personæ aliquid, etiam spontè oblatum, recipere nequeunt: nec viduæ impo-

sterum

sterum vitam in Monasterijs traducant habitu laicorum indutæ.

CAPVT II.

SIngulis annis è prudentiorũ Monialium numero Præses Nouitiarum, & Magistra seligatur, vt puellas instruat, regulas edoceat, ad legendum informet, præceptiones, quibus iuxta suæ Religionis præscripta diuinum sit ordinandum officiũ, explanet, & ad vitæ sanctimoniam suis exemplis erudiat; seiunctus à communi nouitiarum sit locus: in quo Nouitiæ, & illarum Præses tantum inhabitent, & nullo modo aliæ Moniales cuiuslibet consanguinitatis, & affinitatis colore introducantur, aut earum suscipiant curam. Nouitias cum sæcularibus siue viris, siue mulieribus sermones habere non sinat, nisi his in casibus, in quibus solos accedere parentes à nobis permissum est. Postremò vltra numerum designandum plures non recipiãtur nouitiæ in Monasterijs; & tertia soror, si Apostolicam non impetrauerit licentiam, omnibus est reijcienda modis.

CAPVT III.

ANtequam probationis annum nouitia compleat

pleat, non cunctetur Abbatissa nouitiæ mores nobis explicare, ne vltra annum professio protrahatur; & si diuinum ordinare officium didicerit, & explorata ipsius à nobis deputanda voluntate, si nostra in scriptis accesserit licentia. Si deniq; nihil ex ijs deest, quæ iuxta Tridentini pręscripta Concilij requiruntur, professionem emittat, vota publicè nuncupet; debet tamen deputatus, & Abbatissa nouitijs votorum onus exponere, illasq; sermonibus pellicere, vt iure iurando se obstringant, vitam communem, paupertatem, regulas infra pręscribendas ad vltimum vsque vitę spiritum se seruaturas.

De Obseruantia Regulæ. *Cap. I.*

SAepius, vel saltem singulis mensibus Constitutiones, & nostra Decreta in refectorio, vel alio ad id loco destinato perlegantur, & Abbatissa sub pœna suspensionis ad mensem curet omni diligentia, vt ea, quæ seruanda sunt, Monialium vnaquęq; seruet, & exequatur; singulis diebus hora non absurda ab Abbatissa pręscripta per vnius horę spatium diuinarum rerum commentationi se dedant: quę vero mente cœlestia meditari nesciunt, mysticum B. Virginis Rosarum globulorum numeratione persoluant.

missas recipere: quod si euenerit, vt aliqua ipsis epistola à parentibus, aut consanguineis deferatur, eam reserare, & legere nequeunt; sed obsignatas litteras Abbatissæ tradant aperiendas, & legendas: quæ vbi eas oculis perlustrarit, si visum fuerit, ijs, ad quas diriguntur, tradat; quæ etiã sub pœna prohibemus, ne libros à nobis nõ approbatos, aut, qui spiritum non sapiunt, detineant, perlegantue; ne recreationis tempore ioci, aut alterius rei gratia virorum se habitu vestiant, arma cingant, aut personatæ procedant.

CAPVT IV.

Circa alloquutiones cum Monialibus ea religiose sunt obseruanda, quæ in capite sexto de Monialibus recensuimus: hic tamen addendum videtur, vt hæ, cum miscentur colloquijs, conditiones seruẽtur: prima, vt Monialis ab Antistita facultatem, & benedictionem requirat; secunda, vt auscultatrix interueniat; tertia, vt eo in loco sermones misceantur, qui ad allcquutiones est deputatus: at Antistita omnes, quæ deferuntur in scriptis, facultates diligenter asseruet, vt nobis illas exhibeat, si quando repetemus, secus ab officio per annum suspendetur; aduertat tamen, vt tempore æstiuo à meridie ad vesperas

vsq; loca ad sermones deputata, seu colloquutoria, & Ecclesiæ ostia sint clausa, & obserata.

CAPVT V.

MOniales, quibus ianitricis, Sacristę, Rotariæ, sociatricis, & Auscultatricis munus demandatur, quadragesimū excedāt annum, aut quantum fieri potest, maturæ sint ætatis: Sociatrices itidem personas, quibus claustra Monasterij permissum est ingredi, semper comitentur.

CAPVT VI.

A prima noctis hora ad solis ortum lampas in dormitorio semper accensa præniteat sub pœna suspensionis; & antequā Moniales decumbant, & cubitum eant, signum tintinnabuli detur, vt vnaquæq; ante Christi imaginem prouoluta suæ conscientiæ latebras examinet, & diurnos actus exquirat, & trutinet.

CAPVT VII.

DVos intra menses à præsentium publicatione inuentarium Abbatissæ conficiant, aut confici curent, in quo supellex, & bona omnia,

quæ

quæ in Monasterio seruantur, excribantur, vt in quid consumptum, aut quid de nouo superuenerit, dignoscatur. Sortes, seu capitalia censuum casu reluitionis, & deposita in arcam ad id muneris deputatā reponantur: si Monasteriū à Depositario à nobis designato careat, & sine nostra in scriptis facultate, pecuniæ nec mutuę dentur, nec ad nouos census, aut res stabiles coemendas tradantur. Sciant itidem Abbatissæ sub pœna priuationis officij, & inhabilitatis ad cæterā, se non posse quid etiam minimum supra redditus annuos expendere: aromata, si quibus asseruantur ad Monialium necessitates in Monasterijs, Cappellanis, alijsq; ministris nec mercede, nec gratis tribuantur.

CAPVT VIII.

SI quæ fiunt pro edulijs expensæ de die in diem, etiam ab Antistita: distinctè in libello excribantur, & die quolibet hebdomadis sabbato in omnium præsentia perlegantur in mensa; vt cuique compertum sit quantum, & quæ pecuniæ summa expendatur.

DE CAPPELLANIS. Cap. I.

MOnasteriorum tam in Vrbe, quam Diœcesi Cappellani ad vnius anni spatium

per-

perdurent; quo dilapſo, ipſo facto, ab officio ſuſpenduntur: ideòq; vltimo, quo completur annus, menſe nos ſtudeant reddere certiores, vt apto, & opportuno Monaſterij neceſſitatibus tempore conſulamus: loqui cum Monialibus in colloquutorio, vt hac vtamur voce, nequeunt, niſi cum Antiſtita, Vicaria, Sacriſtis, & tantum de rebus, quæ ed earum curam pertinent, agãt: Nec in confeſſionibus vllum ſermonem miſceant, qui ad Confeſſionẽ non dirigatur, & ordinetur. Cappellani, Procuratores, Exactores, Sacriſtæ, Theſaurarij abſoluto ſuorũ munerum tempore Monaſterium, cui ſuas elapſis diebus deuouerunt operas, non adeãt, quicumq; interceſſerit titulus; ſecus anathemate afficientur.

CAPVT II.

SI fortè Regularium quiſquam, etiam primo cum aliqua Moniali conſanguinitatis coniunctus gradu, vt illã alloquatur acceſſerit, Cappellanus nullo modo permittat, niſi impetratam à nobis facultatem legerit, quam penes ſe ſub pœnis noſtro arbitrio detineat: eademq; ſub pœna muſicos ac Miſſas decantandas, aliaq; diuina officia præcinenda admittere non audeat; excludat etiam omnes alios, qui illas celebrarent, & pre-

preces Gregoriani cantus tenore recitarent, si no-
stra non præcesserit in scriptis licentia. Organa
ligneis vndequaq; ita sint munita cancellis, vt
musici nec Moniales, nec sæculares perspicere
queant; secus nostra illis non suffragabitur data
facultas, & ergastalis quatuor detinebuntur ad
menses; Monialibus tamen musices scientia peri-
tis quid, dum Missa decantatur, & in vna tantum
ex priuatis musicis instrumentis, præcinere licet.

CAPVT III.

CVm ad Confessiones Monialium excipien-
das extra ordinarios iuxta Tridētini Con-
cilij sanctiones deputamus, caueant ne aliquid
ab ipsis Monialibus accipiant; quod etiam sub
pœna suspensionis, ipso facto, ij seruare debent,
qui nostro mandato ad suffragia colligenda Mo-
nasterium adeunt.

CAPVT IV.

CVrent Cappellani, vt præceptiones, quæ in
nostris generalibus sunt insertæ decretis,
ad vltimum vsq; seruentur apicem; eas enim vim
habere legis volumus, non secus ac, quæ in hisce
nostris Synodalibus inseruntur. Cōstitutionibus
quod

quod si aliqua in generalibus inclusa decretis in visitatione emanatis his præsentibus forsitan dissonare statutis videbuntur; volumus, vt Decreta in visitatione promulgata, & exarata inuiolabiliter, & omni diligētia exequātur; secus pœnas, quæ in generalibus præscribūtur Decretis, incurrant.

DE IMMVNITATE ECCLESIAstica. Caput I.

SI Gregorij XIV. circa Ecclesiarum immunitatem religiosè custodiretur diploma, profectò Clericos sæculares Magistratus vexare nō auderent, & innumeris se non implicarent labyrinthis. Sciant igitur omnes ab omni iure tum humano, tùm Diuino Clericos, & qui Ecclesiastico cultui se deuouerū; à gabellarū solutione, & vectigalium, datiorum, pedagiorū oneribus exemptos esse, & immunes; loco suis in concilijs, & congressibus Vniuersitates, & Magistratus sæculares nihil decernere, statuere, & publicare audeant, quod Clericorum immunitatem lædat, deterat, aut imminuat. Nec Vectigalium exactores bona Clericorum, aut Regularium siue virorum, siue mulierum directè, vel indirectè molestijs afficiant; si enim impuḋēti temeritate id ausi fuerint, excōmunicationis nexibus illigantur; omnesq;

nesq; Constitutiones, & Decreta, quæ Ecclesiarum immunitatem minimo quouis modo collidunt, & offendunt, irritas, nullas, & nulla firmitate roboratas esse sancimus.

CAPVT II.

NVllus Curiæ sæcularis minister quauis de causa aliquem ab Ecclesia foras abripiat, aut extrahat; nisi nostram prius impetrarit licentiam; secus vltra pœnam nostro arbitrio, in excommunicationem Pontifici reseruatam incidet: cui etiam subiacebunt tum mandantes, tum qui consilium, & fauorem præstiterint; & si noster fuerit minister, ad viginti soluendas vncias adiudicabitur.

CAPVT III.

POenis nostro arbitrio decernendis plectetur quilibet sæcularis quacunq; conditione, aut dignitate spectandus, qui in Ecclesijs, vel in earum domicilijs, etiam laicis locatis hospitium militibus præbere non extimuerit.

CAPVT IV.

AEquo ferre nequimus animo, Clericos, &

 dini-

diuino addictos cultui miris à sæcularibus quotidiè vexari, & infestari modis; vel enim illos ad gabellarum solutiones, ad hospitia, & iumenta laicis tradenda ministris adurgent; vel pisces, carnes, cæteraq; ad victum necessaria illis vendere fastidiunt; vel carius, quam cæteri, mercari cogunt, & obstringunt: quare, vt Ecclesiasticæ consulamus immunitati, sacrorũ Canonum statuta innouamus; & omnes eos, qui Ecclesiasticorũ libertatem opprimere non verentur, monitos volumus, vt Deum eo, quo par est, metu reuereantur; vt mente sæpè reuoluãt, quanta omni tempore intulerit mala Deus ijs, qui personas Ecclesiasticas, ne suis fruantur priuilegijs, impediunt, aut impedire conantur; si enim pœnas à Deo inflictas memoria ag tabut, illos tuebuntur, illæsa illorũ iura seruabũt, Ecclesiasticã immunitatem non modo non imminuent, sed augebunt. Præcipimus igitur vectigalium Exactoribus, ne vllas à Clericis, & Ecclesiasticis personis gabellarum solutiones expetant, aut extorqueant; ni Ecclesiasticis, & quidem grauissimis implicari velint censuris, à quibus se immunes non credant carnium, piscium, cæterarumq; rerum, quæ ad vitæ substentationem conducunt, venditores, si eorum quid viris Ecclesiasticis, aut renuunt, aut

carius,

carius quàm cæteris, vēdere attentarint. Qui nostris hisce obtēperare renuerit Sanctionibus, præter pœnas à iure inflictas, & nostro infligendas arbitrio, vt Ecclesiasticæ immunitatis violatores viginti soluent vncias; vel circum Vrbem acti verberibus cedentur & flagellis. Denique, vt nostras hasce Cōstitutiones norint, eas sæpè sæpius Parochi populis explicent, & publicari curent; & nostri Vicarij venditores, cum se dabit occasio, studeant admonere.

CAPVT V.

NOstri fori perfrui priuilegijs cū hominem declaramus, & a sæcularibus tam in ciuilibus, quam in criminalibus exemptum causis, qui à nobis principaliter, vel à nostræ Cathedralis Archidiacono ad festorū de præcepto obseruantiam, subrogatur; nec in illum Curiæ sæcularis ministri manus possunt injcere; si nostra in scriptis licentia arma a legibus non interdicta deferet, aut asportabit.

CAPVT VI.

SIngulis, qui in hac Vrbe, vel Diœcesi commorantur, hac nostra Synodali sanctione tri-

na, veluti Canonica admonitione præcipimus, vt nullus imposterum quouis modo, aut quæsito colore nostros ministros, aut quemquam ex nostræ Episcopalis Curiæ familiaribus impediat, quominus Ecclesiastica iurisdictione liberrime vtantur, & perfruantur: nec illis vllũ opponere audeat impedimentum, quo nostram ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinentẽ minus exequi possent voluntatem. Nec similiter quis audeat quauis de causa, quemquam nostræ ditionis subiectum, aut nostro addictum foro in carceres trudere; quod si facto in custodias iniecerint, etiam in casibus à iure permissis, nullam monitionem extra iudicialem, aut notificationem, quam vocant, conficiãt; sed illos illico, nullisq; positis morulis ad nos remittãt, ni velint ipso facto excommunicatione vinciri.

CAPVT VII.

EAndem non effugiunt censuram Dinastæ, seu Barones, vel eorum ministri, qui Clericos, vel eorum famulos, aut alios eorum nomine detinent, & prohibent, ne alijs panem collocent, & decoquant in locis, quam in suorum dominorum furnis; ne ad pistrinum pergant ad triticum molendũ, nisi in Domini molendinis; ne

olinas

oliuas terant, & contundant, nisi in molis oleariis seu trapetis Dominorũ; hęc enim omnia maximè Ecclesiasticam lædunt libertatem. Postremò Curati, & Vicarij Proceres, Dominos, & ministros sæculares de pœnis supramemoratis, alijsq; nostro decernendis arbitrio faciant certiores.

DE ARCHIPRESBYTERIS, SEV Parochis. Caput I.

STudeant Archipresbyteri, & Parochi in propriæ Parœciæ finibus, vel quantum fieri potest, in locis ad ipsam vicinioribus domum habere. Quod si id fieri facilè non poterit, aliquem in ipsa Parochia curẽt habitare Sacerdotem, vt diu noctuq; si casus necessitatis exortus fuerit, promptus esse possit Sacerdos ad necessaria infirmis præbenda Sacramenta, & ad ea quæ ad suæ Parochialis Ecclesiæ cultum, & decus faciunt, exequenda, secundum ea, quæ in titulo de sacristia præscripsimus, quæ omnia maiori cum diligentia hac nostra in Vrbe seruari debent, ne pœnis eodem titulo enumeratis quis puniatur.

CAPVT II.

BEneficia Ecclesiastica, quibus animarum cura est alligata, ideò fuerunt instituta, vt in

cis Parochi assiduitas habeatur, & nō modo summo Numen honore veneretur; sed et à gregi concredito necessaria saluti exhibeantur: Plerique tamen populorum sibi commissorum immemores Ecclesias deserunt, illarum curam alijs tradunt, & multa semper per loca diuagantur. Itaq; decernere visum est, vt quilibet Beneficiarius, cui animarum cura iniuncta est, quotidianā suæ Ecclesiæ præbeat assiduitatem, & ab illa duos abesse per menses, nostra sine licentia in scriptis, non audeat; & nostra sine facultate sex tantum dies extra Ecclesiam trās figere potest: Nec inde infertur, posse duos interruptos abesse per mēses, nam hoc illis vetitum est. Qui hanc legem prætermittere non verebuntur, priuatione fructuū ad nostrum arbitrium plectentur. Per se ipsos immediate Sacramenta ministrent, vel si aliquo fuerint impedimento detenti, curent, vt per Curatos, Cappellanos, vel per alios ad salutem necessaria populis præbeantur: Clericis Ecclesiæ famulari renuentibus, si Vicarius aberit, carceris pœnam denuncient, quam deinde in eos, qui Parocho fuerunt refractarij, Vicarius exequatur. Litteras, seu fides, quas vocant approbatorias, & exculpatorias, alicui non conficiant sine nostra facultate, ni pœnis nostro arbitrio peramant subijacere.

CA-

CAPVT III.

EX Sacræ Congregationis Decreto, & nostris hisce Constitutionibus omnes obstringimus Parochos, vt in die Beatissimæ Virginis Purificationis Sacro suis expensis cereas candelas conficiant, benedicant, & proprijs distribuant Parochianis, vbi de consuetudine hucusq; seruatum est.

CAPVT IV.

NOuerint omnes, beneficiorum tam simplicium, quam curam animarum habentium fructus vitæ antecessorum tempore non exactos ad successores omnino pertinere; sic enim per Vrbanum Papam VIII. sancitum est Constit: 80. & c. Et hoc ad tollendas lites, quæ sæpè sæpius hactenus inter hæredes, & successores Beneficiariorum oriri solebant.

CAPVT V.

COmmissas oues, qua omni diligentia possumus, ad viã salutis reuocare tenemur; semperque inuigilare, ne scelerum sarcina grauatæ obdurescant in sordibus: Præcipimus igitur sub pœna nostro arbitrio omnibus Parochis, alijsque

anima-

animarum curam habentibus, vt feria quarta Cinerum edicta promulgent, quibus hortamur fideles, vt, qua debeant charitate, vsurarios, concubinarios, aliosq; publicos, vel graues peccatores Parocho secreto denuncient; quosque cum acceperit Parochus, pluries paterno affectu commoneat, curetq; eorum obcæcatos oculos aperire. Qui si obsurduerint, & præcepto Paschali satisfacere neglexerint, seruent deinde omnino Parochi ea, quæ supra de Sacramento Pœnitentiæ dicta sunt, sub pœna ibidem expressa.

CAPVT VI.

TAntum exscreuisse nonnullorum malitiam, experientia comprobatum habemus, qui Paschatis præcepto satisfacere neglexerunt, vt ad euitãdas Ecclesiæ pœnas, aliorum vsi sint signis, quæ in communione à Parochis erogantur. Volumus igitur (vt tantæ malitiæ deleatur vsus) sub pœna nostro arbitrio, vt quilibet Parochus in Quadragesima ante tempus Paschalis præcepti omnibus suis parochianis distribuat per domos chartulas, in quibus ex vna parte sit signum, siue sigillum, & nomen Parochiæ, & ex altera nomen parochiani, cui datur: quæ nomina in libro registrentur, easdẽ chartulas in die communionis recipiat

cipiat; quo & certius illorũ nomina, qui adimpleuerint, cognoſcet, & fraudi reſerabitur aditus.

DE DECIMIS.

EX omnibus, qui colliguntur, fructibus proprijs decimas Sacerdotibus tribui debere iure Diuino ſancitum eſt; & tunc, vt ſingulos experimur in dies, frugibus horrea, & vino redundãt torcularia, cum primitiæ Domino deferuntur, qui laudabilis mos in noſtra Diœceſi viget; ſed tamen caueant fideles, ne quid fraudibus occultent, & impudenti denegent animo; & ſi propria pacatè conſequi cupiunt, eorum, quæ ad Dei miniſtros pertinent, nihil ſuffurentur; idcirco Parochi tam in Vrbe, quam in Diœceſi populos ſibi ſubiectos cogãt, vt Deo decimas omnino perſoluãt, ne edicti hac ſuper re editi præcepta trãſgrediantur; cuius vires firmas, ita volumus, ac ſi hiſce noſtris foret inſertum Conſtitutionibus.

DE VICARIIS FORANEIS. Cap. I.

VIcarij Foranei iuriſdictionis conceſſæ fines non protrahant, aut excedant, ſed noſtra ad vltimas vſque minutias mandata tueantur. Omni ſtudio curent, vt Conſtitutiones Synoda-

les, & pandectæ ab omnibus exacte seruentur, & quolibet semestri per litteras, quas dicunt responsales, nos reddant certiores, an, & quibus seruentur modis; alias senis quibuslibet mensibus ad decem soluendas vncias obstringentur.

CAPVT II.

SI quando quis peccarit, aut deliquerit, tum ad nostri Procuratoris fiscalis, tum ad partis contentionem, seu instantiam, notiones, siue informationes excipiant; etiam si in Regularium Ecclesijs fuerit excessus: ad Nos, & nostrã Episcopalem Curiam intra dies viginti earum transmittant exemplar, absq; vlla repetione, & absq; eo, quod parti dicatur dies, vel, vt ipsi loquuntur absq; partis citatione, & Rei subitione: Reũ tamẽ per territorij limites sub fidei iussione deuinctũ. At in delictis acerbioribus, quibus Nos, & nostrã magnã Curiam reos adire necessum fuerit, delicti grauitate perpensa vel in carcerẽ trudãt, vel fidei iussione cõstringãt, vt corã Nobis appareat, vel ad nostram magnam Curiam, diebus decem vix elapsis, se transferat: quod si non fuerit obsequutus, toties viginti soluet vncias, quoties oppositum exequi non addubitauerit. Animaduertant tabelliones magistri, exemplar notionum,

valgò

vulgò informationum, & testium excommunicationis formidine receptorum se vllo modo manifestare non posse, sub pœna vnciarum decem: & sub pœna vnciarum quadraginta, & priuationis officij, tum Vicario, tum Magistro Notario præcipimus, vt quolibet mēse litteras ad Nos trāsmittant, quibus reddamur certiores, non alias præter transmissas, neq; ad instātiam Procuratoris, neq; ad partis contra reum contentionem, esse in sua potestate informationes, seu fideiussiones. Testes ad notiones, seu ad Nos; & nostrā Curiam informandam, sine nostra facultate non recipiantur: eos tamen excipimus, qui ad matrimonij causas faciunt. Fides, quas nominant approbatorias, vel exculpatorias, nisi nostra accesserit licentia, nō conficiantur. Qui nostris parere renuerit decretis, vncijs quatuor mulctabitur.

CAPVT III.

SI nostra non aderit facultas, non sinant Ecclesiarum, Monasteriorum, Montium pietatis, Sodalitatum, aliorumq; locorum sortes, seu capitalia penes generales Depositarios, a Nobis deputatos reposita, nouis censibus implicari; excipimus tamen, si nostra aderit licentia, quæ gratis concedatur, summam vnciarum decem.

Censuum repignorationes, seu relutiones, & capitalia, quæ penes Depositarios generales sunt, singulis mensibus nobis detegant, sub pœnis alijs in nostris Decretis inflictis.

CAPVT IV.

INfra mensis vnius spatium librum conficiant, & omnes Beneficiarios Curatos conuocent per edictum, & eos iubeant litteras, & priuilegia offerre, quibus delatis summam, quæ in illis continetur, quibus supra bonis sit posita, quibus finibus prædia ad diem præsentem terminentur, à quo fuerit obtenta, & cuius Episcopi tempore, quo missarum onere deprimatur, quibus in Ecclesijs, quo in altari, & die minutius, & distinctè exarent, & describant, & eorũ exemplar ad Nos transmittant; quod singulis faciendum est annis, vt clarius dignoscatur, qui nam fuerint vita functi, qui in eorum locũ subrogati, an fines immutati perdurent. Præcipimus etiã, vt de beneficijs ab anno 1617. institutis pro Seminario taxa vnà cum pecuniæ non solutæ quantitate exigatur, & senis quibuslibet mẽsibus ab omnibus beneficijs & iuxta Tridentini decreta à Collegiatis etiam repetatur, & ad Thesaurariũ Seminarij deferatur; quod si intra dierũ quindecim spatium non trans-

misse-

miserint, summã de proprijs persoluent fortunis.

CAPVT V.

NOuas ordinari, & institui supplicationes non sinant, nec aliquos sine nostra licentia etiã Regulares (dummodo non sint priuilegijs roborati) eleemosynã corrogare per Vrbem, nec imagines Christi Domini, Beatissimæ Virginis Mariæ, aut Sanctorum deferre patiantur; sed ad Nos illos, vt eleemosynarũ vsurpatores, & fraudatores ablegent.

CAPVT VI.

CVm quis ære alieno depressus est, cognoscere illum Vicarij nequeãt, si debitum vncias excedit decem; nisi tamen maior summa sit dispertita, cuius quælibet pars decem vnciarum limites non excedat; similiter Iudicij, quod vocant præparatorij, non recipiant, aut recipi sinant acta, quæ summam suam potestatẽ excedentem contineant; quod si summa non fuerit expressa, absq; nostra licentia se in illam non inserant, aut intrudant: si secus fecerint, inualidi sint actus, & sententia, & nostro arbitrio puniendi remaneant.

CAPVT VII.

IIs in rebus, quæ ad Moniales pertinent, vllo se modo non ingerant, nec facultates facile concedant; sed curent, nostras circa Moniales Sanctiones sub pœna priuationis custodiri. Tantummodò in Christi Natalitijs, & Paschatis solemnijs potest mulieribus, & viris honestis, etiam affinitate non coniunctis semel, aut iterum licentiam impertiri, vt exceptis Nouitijs, valeant professas alloqui Moniales.

CAPVT VIII.

VLtimæ testatorum voluntates, piùm, & laude dignum esset, si ea, qua custodiuntur leges, seruarentur religione; quapropter Nos, quibus ex officio congruit, opportuna comparare remedia omnibus nostræ Diœcesis Vicarijs indicimus, vt eas ab executoribus, siue Clericis, siue laicis adimpleri curent; & vt nostri delegati vltimas testatorum dispositiones exequantur, quamuis legatorum, vel pecuniariū summa decem excedat vnciis; singulis in mēsibus semel ab exscriptoribus, seu Notarijs piis ad causas legata disquirant; admoneantq, Notarios intra tempus à nobis

ſupra conſtitutũ, debere ipſos ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ legata pia reuelare; quam in pœnam incidunt Confeſſarij, ſi eadem legata ipſis concredita non reuelarint.

CAPVT IX.

ITa pleroſq; obcæcat, & tranſuerſos agit veſana pecuniæ cupido, vt non modo teſtatorum voluntates immutent, pia legata voce, vel ſcriptis relicta, & teſtamenta, vt ita dicamus, ſepeliant: verùm etiam Sacerdotes, & Notarios ab infirmis aduocatos ad locum, in quo decumbunt ingredi non permittant; ſub pœnis igitur, quas ſacri præſcripſere Canones, diſtrictè præcipimus, ne vllus ſiue laicus, ſiue Clericus directè, vel indirectè, per ſe ipſum, vel per alium, ſignis, aut operibus teſtatorum volũtates immutet; ne eos, dum aliquid ad pias cauſas legare cupiunt, à propoſito deducat; ne dubijs legata circumlocutionibus, aut verbis cõueſtiat, & obſcuret, vnde litium origo promanet; ne ſacerdotibus & Notarijs impedimentũ opponat, quominus toties infirmos adire poſſint, quoties ab ipſis fuerint aduocati. Noſtram hanc Sanctionem Vicarij foranei curent primo Quadrageſimæ die Dominico populis publicare.

CA-

CAPVT X.

EOs, qui ad Ecclesias tàm sæcularium, quàm Regularium confugere, extrahi à quoquam nullo modo sinant. Quod si temporales ministri institerint illos foras educere, nullo modo eorum voluntati assentiantur: tantummodo eos, iuxta Gregorij XIV. Constitutionem custodibus extra Ecclesiam positis circũsæpire permittant, & Nos statim commoneant, vt iusta, & opportuna præbere remedia possimus.

CAPVT XI.

DElegati (à quibus quantũ potest abstinendum, nisi grauis vrgeat necessitas) à Nobis, vel nostra Magna Episcopali Curia per Diœcesim missi, quomodo se gerant, & de eorum moribus Vicarij certiores Nos reddãt: Eos tamen nullo modo sinant datam exercere iurisdictionem, nisi prius nostram ipsis factam tradit potestatem ostenderint: nec patiantur iurisdictionis limites excedere, & illos, si opus fuerit, ne potestatem factã excedant, cohibeant; & ad nos deferri prohibitionem, seu iniunctionem illico faciant. Caueant itidem, ne ad contentionem procuratoris fisca-

fiscalis, seu partis instantiam Clericos ad prouisiones, & expensas delegatis tribuendas adurgeant; sed solùm domum, in qua cohabitent, præparêt delegatis, & vna cum Curatoribus, seu commissarijs exequutiuis legitimam dierum exigationem stabiliant, mercesq; legitima soluatur omnibus a nobis assignatis ministris, quibus id ex nostro diplomate congruit; & nostros famulos defendant, nec sinant à temporali magistratu vllo modo vexari.

CAPVT XII.

VT occludatur Vicarijs foraneis, & nostris delegatis, eorumq; actuarijs aditus, quo sæpè ab ijs, quibus cum negotia intercedunt, plus mercedis ea, quæ ipsis cōtingit, expetunt, & extorquent; iurium tabella in harũ constitutionum Synodalium calce, seu fine, apponatur, quo ipsi Vicarij, eius tabelliones delegati, eorumq; actuarij nostræ curiæ ministri, Cancellarius, & Magister notarius dignoscant, quantũ sine iniuria percipere possunt.

CAPVT XIII.

PLurima sæpè orta fuerunt mala eo, quod redditi non fuerimus certiores de Sacerdotũ,

N n Cleri-

Clericorum tam in Sacris, quàm in minoribus, & prima initiatorum tonsura morte; ideoq; Vicarijs iniugimus foraneis, vt singulis mensibus tabellam ad Nos mittant, in qua Clericorum, qui vita excessere nomen, & cognomē, & ætas sit adnotata; vt nihil nobis occultum maneat, ni certissime velint incidere in pœnam vnciarum decem.

CAPVT XIV.

Vicarij foranei munus vltra vnius anni spatium à publicatione præsentium nō extenditur, nisi aliud nostra volūtate disponatur; quod ideo illis compertum volumus, ne se iniuria, aut infamię notis affectos arbitrentur, si in eorum locum alij subrogabuntur, & ipsi ad alias applicabuntur functiones.

CAPVT XV.

SI quando quem in carcerem coniecerint, illum e custodijs educere, aut carceris laxare angustias absque nostra in scriptis licentia non audeant; nisi tamen nullius, aut parui fuerit causa ponderis, & momenti; secus nostri arbitrij pœnas non euadent.

CAPVT XVI.

QVamuis necessarium pro Ecclesiæ libertate, quod hic apponitur, non videatur; tamẽ, vt maior adhibeatur cautio, Vicarij, seu alij, quibus hæc cura demandabitur, vbi censuũ extimationes, seu minutæ sunt promulgandæ, statim procuratoribus, rectoribus, administratoribus sub pœna vnciarum decem imponant, vel iniungere curent, vt intra terminos ad insinuandum præscriptos insinuent, aut insinuare procurent dictas extimationes, seu minutas; secus Vicarius, alijq; nostro deputandi mandato, visa nobis supplicia subibunt.

CAPVT XVII.

FIliorum obedientiam, & reuerentiam in Matrem, & debitam iure diuino, & laudabilem esse, nemo est, qui ambiget: Ideoq; Cathedralem nostram, matrẽ omniũ Ecclesiarum nostræ Diocesis sexto idus Septembris, quo die Natiuitas Deiparæ celebratur, omnes teneantur agnoscere: mãdamus propterea Parochis, Vicarijs foraneis, vt per se, vel per Procuratorem, & Clero vniuerso dicta die hanc Vrbem adeãt, assistant in Missa-

rum solemnijs, vocatiq; respondeant: Nec non laudabile erit, si in signum Maternitatis eandem Cathedralem recognoscāt aliquo gratuito, & voluntario munere.

CAPVT XVIII.

AD abolēdos abusus quos delegatorum, aliorumq; nostræ magnæ Episcopalis Curiæ ministrorū nimia cupiditas introduxit; volumus, ne ipsis delegatis in funeribus interesse ētibus plus Iuris tribuant, quā cuilibet alij Sacerdoti præstatur; neque absētes ministri ius possiāt in funeralibus: excepto tamen Cappellano Curato, qui Ecclesiæ inseruire, & assistere teneatur pro administratione Sacramentorum, cui ius funerū præstandum esse mandamus.

CAPVT XIX.

OMnibus nostris Vicarijs foraneis mā damus, ne testes vocatos in contumaciam excommunicent; sed ipsos citent, certioremq; statim reddant Magnā Episcopalē Curiā, à qua mā data expectent; caueantq; excommunicationis gladio percutere contumaces in quacumq; caussa, non obtenta prius à nostra Magna Episcopali Curia pote-

poteſtate, quam ex ſe Vicarij foranei nō habent.

DE SENTENTIA EXCOMMUNI-cationis. Cap. I.

GLadios, quibus Eccleſia vtitur, & armatur, Synodus Tridentina, Eccleſiaſticas eſſe cenſuras, declarauit; illis igitur non temere vtendum, ſed magna cum cautione, & grauiſſimis in cauſis, & ſumma diſcuſſis diligentia. Sæuitiem namque ſaperet, ſi pro leuibus delictis à Sanctæ Matris Eccleſiæ communicatione, & gremio fideles abriperentur. Igitur admonitiones impoſterum nō fiant, nec excommunicationis ſententiæ pro rebus deperditis proferantur, vt bona reuelentur amiſſa; nec in cauſis ſiue ciuilibus, ſiue criminalibus, vt damna reſarciantur; niſi dānum reſarciendum, etiam coaceruatis vicibus, octo vnciarum ſummam excellerit.

CAPVT II.

NVllus, ad quem monitiones publicare ſpectat, diebus Reſurrectionis Domini noſtri, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Natiuitatis Domini, ac Sancti ſuæ Eccleſiæ Patroni, & Titularis populis illas publicet, aut denunciet.

CA-

CAPVT III.

NOnnulli æternæ salutis immemores, Ecclesiasticas aspernantur censuras; & licet declaratum fuerit, in illas incidisse, & per libellos, & syngraphas excõmunicatione á deuinctos esse; tamen impudenti proteruia ad Ecclesiæ voces obsurdescunt, & illis se exoluere non modo non student, verum etiam peramant sordescere; ideò hosce homines, quorum nimium excrescit proteruia, si iuxta Tridẽtini Concilij decreta absolutionem à censuris nõ exquisierint; vt de hęresi suspectos, esse habẽdos declaramus. Proinde, vt facilius saltẽ per verecundiá, & pudorem resipiscant; Parochi omnes excommunicatione deuinctos, & nostræ magnæ curiæ decretis declaratos (si intra triũ mensiũ spatia absolutionis beneficiũ ass qui neglexerint) adnotẽt, & quolibet die Dominico inter missarũ solemnia horũ excõmunicatorum nomina populis publicent, & denuncient, & Vicarij eorum nomina transmittere teneantur.

CAPVT IV.

QVoniam verò salubre nimis est, casus, & scelera, quibus est excõmunicatio annexa, ab

ab hominibus cognosci; Parochi singulis annis primò die Ieiunij quadragesimalis Dominico populis suæ enter publicent casus omnes, hisce nostris Synodalibus comprehensos cōstitutionibus, quibus est illigata excommunicatio.

CAPVT V.

DElationum, & reuelationum exemplar, maxime si infamiam contineant, à nullo tradatur; & semper illa apponatur clausula, nō posse contra reum in iudicijs agi, nisi tantum ciuiliter, & in ciuili versura, seu interesse: secus ipsa reuelatio nec in Iudicio, nec extra Iudicium veritatem comprobet, fidemq; faciat; quin, si reuelationibus in causa criminali vti quis ausus fuerit, pars, & iudex latæ sententiæ excommunicationē incurret, & omnium actuum nullitas incurretur.

CAPVT VI.

NVlla acerbior in Ecclesia reperitur pęna, quam excommunicatio; vnde Diuus Augustinus illam eruditè protulit sententiam, videlicet (grauius esse à spirituali gladio feriri, quam materiali, vel, quam si à feris deuoraretur, aut si flammis vreretur; & excommunicatum à diabo-

lo

lo possideri; vnde Ecclesia pro illo non orat, nec mortuo. Quare Vicarij foranei in Diœcesi, & noster Generalis Vicarius in vrbe obnixè studeant, vt in primo die Dominico quadragesimæ damna ferè innumera, quæ ab excommunicatione proficiscuntur, & emanant, populis per Procuratores explicentur.

DE FVNERIS EXEQVIIS, ET Sepulturis. Caput I.

PLurimis ad cœlum vsque sunt euehenda laudibus Christianæ pietatis officia; ea maximè, quibus mortuorum funera fideles prosequuntur; defunctorum enim Animæ viuorum recreantur suffragijs, & solemni more, & Ecclesiasticis precibus, cum ad sepulturam defertur corpus, anima subleuatur. Hos ideo circa ritus hæc obseruanda præscribimus: scilicet, vt sepultura non retardetur, nec aliqua ante ipsam coactio præcedat, aut per Parochos expignoratio sub pœna vnciarum viginti.

CAPVT II.

NVllum sepulchro demādetur cadauer, nisi a spiritus emissione hora duodecima fuerit

ela-

dilapsa, ne quid offensionis enascatur, dum propera festinatione corpus ad sepulturã defertur. Die Veneris sancti cruciatibus Saluatoris sacro, & Paschatis die festo cadauera non humentur, sed in diem subsequentẽ eorum depositio transferatur. Quod si quis inopinata, & repentina arreptus morte decesserit, non ante sepeliatur, quàm vigesima quarta præterierit hora. Cessent in funeribus eiulatus, inanes propinquorũ complorationes, & mulierũ taceant stridores, & querimoniæ, maximè dum funereæ ab Ecclesiasticis persoluuntur preces: Vna potius cum Sacerdotibus Deum precentur, vt defunctorum animabus parcat, & in Beatitudinis locum festinanter adscribat. Coma, & capillis feretrum non aspergatur, omnisq; penitus in funeribus præcidatur abusus. Paruulorum sepulchra ab aliorũ sint distincta sepulturis, & supra lapidẽ, qui cadauera claudit, inscribatur: Sepultura Paruulorum: vt ab aliorum sepulchris dignoscantur.

CAPVT III.

CVm ad Ecclesiã funus est deferendũ, Parochus, aut alius ab eo designatus stolã nigri coloris, & Sacerdotes, & Clerici ad pietatis exequẽdum munera aduocati tunicas laxatis manicis, &

quadratum deferant pileum. Regulares itidem suæ Crucis signa deportent, & forma Ritualis Romani seruata eo ordine, quo in supplicationib' adhibetur, incedentes, ad Ecclesiã Parochialem, vel ad aliã, quã sibi defunctus elegerit deferãt per breuiorē viã, sub pœna nostro arbitrio à Parocho exigenda; Psalmos, & preces ab eodē Rituali statutas persoluãt. Nec vllus quouis titulo sine Parochi licētia, è cuius Parochia defunctus effertur in Diœcesi, & in Vrbe sine nostræ Thesaurarij Cathedralis facultate, lumina, cereos, & candelas in manibus præferat; Ritus hic seruandus est in mortuorũ deportatione: vt Canonici defunctum deferant Canonicum; Sacerdotes Sacerdotem; Diaconi Diaconum; Subdiaconi Subdiaconum; Clerici Clericum; & laicum sæculares: Summo etiam studio commendamus, vt miseræ, omnĩq; egentes personæ gratis, & vlla sine mercede humo tradantur. In sepulchris inscriptiones, & epitaphia sine nostra in scriptis facultate non incidantur, nec pia figantur. Mortuorum cadauera supra solum sita nullo modo sint, sed subtus terram recondantur, & quatuor per palmos ad minus sint distita ab Altaribus.

CAPVT IV.

CVm exequiarum gratia æra campana in morē pulsanda fuerint, hac lege id fiat; vt prima noctis hora elapsa à pulsatione cessetur; quæ quidem nec ante Auroram incipiat. Vt verò in sonitu modus sit, quinquies ad summum pulsentur; qualibet verò vice quadrātis spatium in pulsando non excedatur: quisecus fecerit facristа, nostro arbitrio carceris subibit pœnas; qui permiserit foraneus Vicarius, duodecim pendet vncias, suumque Vicariatus munus per duos menses non exercebit.

DE REGVLARIBVS. Caput I.

REligiosè regulares obseruent, quæ in superioribus decretis circa Confessiones excipiendas, Conciones habendas, aliaq; ad ipsos spectantia munera, statuimus. Hic etiā decernimus, vt suis in Ecclesijs inflictas à nobis publicent censuras; dies festos, vel Apostolicis, vel nostris præscriptos in nostra Diœcesi sanctionibus seruent, & tueantur; ad ordinarias, vel aliam ob iustam causam à nobis institutas accedant supplicationes: & si renuerint, censuris compellentur.

CAPVT II.

NOua sine nostra facultate non erigant, aut extruant cœnobia: ad Monialium claustra, vt Abbatissam, vel Moniales alloquantur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ pedes non ferãt; & formas nostris præscriptas Constitutionibus ad vnguem seruent: sepulchra supra terram sita demoliantur; & in die hebdomadæ maioris Sabbato ante Matricis signum æra campana non pulsent; sed vbi Matricis tintinnabula insonuerint, suis etiam consonent campanis.

CAPVT III.

TErtij ordinis, quem vocant, habitum alijs non impertiantur mulieribus, nisi ijs, quæ annum expleuerint quadragesimum; quæ tãtum possident fortunarum, quantum ad commodam vitæ substentationem satis sit; quæ honestis sint instructæ moribus, & vitam agitent consaguineorum, vel affinium primo gradu coniunctorum domibus. Seruentur itidem conditiones, quæ in sacræ Congregationis edito nuperrimè decreto comprehenduntur. Mulieres verò, quarum vita parum honestatis ostendit, sine nostra facultate

memo-

memoratum non deferant habitum; secùs fustibus per vrbem actæ cædentur; & si nobis visum fuerit, exulatum abibunt.

CAPVT IV.

NVlli Regularium domi, aut per viam defuncti corpus lympha aspergere liceat, si Parochus adfuerit, nec ante fores Ecclesiæ assuetam præcinere, aut persoluere precationem, dum intra suam Ecclesiam, quam sibi defunctus elegit, non fuerit cadauer illatum; Hæc enim omnia exequi munera proprio competit Parocho: Vbi verò defuncti corpus in eorum Ecclesias fuerit asportatum, ad ipsos spectat Regulares, funereas persoluere precationes.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

Caput I.

SEminarium Clericorum iuxta Tridentini Constitutiones institutum mirũ in modum discupimus magis, magisq; in dies semper excrescere, & confirmari: In eo namq; nouellæ adolescentium plantæ educantur; vnde vberes in Ecclesiæ campos fructus pullulant, & emittuntur: Verùm, vt rectè illud, quod tanti facit Tridenti-

num

rum, administretur, harum constitutionum præsidijs adiuuandum esse putauimus.

CAPVT II.

DVo, quorum prudentia, & morum grauitas omnibus sit comperta, seligantur viri, quibus seminarij cura concredatur: alter, iuxta Tridentini decreta, ex amplissimo Canonicorũ consessu, alter è Clero est eligendus. Horum erit tam quę ad tẽporalia seminarij bona conducunt, comparare: tam quæ ad puerorum in litteris, & spiritu profectum faciunt, prouidere. Sæpè sæpius Præceptores puerorum interrogent, an sedulam litteris grammaticæ nauent operam; an mores emendatos habeant; an Sacramentorum nouerint ritus; an deniq; ijs omnibus sint instructi rebus, quæ ipsis videntur necessaria, & Episcopum reddant certiorem.

CAPVT III.

IN seminarium non adscribantur, nisi adolescentes, quorũ indoles spem bonam nutriat, & optimos fructus polliceatur: sint opibus destituti, legitimo tamen procreati coniugio; ætatis annum agant duodecimum; litteras conformare,

gram-

grammaticæ rudimenta sciant: jtandem sint, in quibus spes eluceat fore, vt ad vltimum vsq; spiritum Ecclesiæ se totos addicant, & deuoueant: fortunæ opibus spectandi, si suis velint sustentari sumptibus, rejciendi nullo modo sunt.

CAPVT IV.

VBi quis in seminariū fuerit adscitus, Sacramentali Confessione totius ante actæ vitæ labes abstergat, & sacram sumat Eucharistiam. Singulis omnes mensibus bis, aut ter pœnitentiæ Sacramenta suscipiant, & diuino reficiantur pabulo, si id confessario visum fuerit. Eos tantum Confessores adeant, quos Episcopus designarit: Eucharistiæ tamen Sacramentum in Cathedrali solum excipiant;

CAPVT V.

STatim ac recipiuntur, clericalē habitum, & primæ tonsuræ insignia deferant; Dominicis, festisq; diebus in Ecclesiam Cathedralem omnes conueniant, & in illa inseruiant Sacerdotibus, qui sacra hostia Deo litant. Cæteris verò diebus in seminarij sacello, vel in Patrum Societatis Iesu templo quotidie sacro intersint; conciones,

pro

pro vt seminarij Rectori libitū fuerit, exaudiét; litterarum studijs diligentem præbeant operam; ijsq; vtentur præceptoribus, quos illi Rector assignauerit; & hijstoriæ Ecclesiasticæ studijs se diligenter, applicent. Si qui verò fuerint vitæ solutioris & e quorum moribus nulla spes emendationis effulget, vbi debitas dederint errorum pœnas, à seminario depellantur.

CAPVT VI.

STatim ac à lectulis manè surrexerint, per quadrantis spatium mente cœlestia meditentur; & Vespere districto examine consciētiam discutiant, & disquirant. Cum tempus ad corporis vires reficiendas accommodum aduenerit, omnes se in refectorium cōferāt, in quo modestè se gerant, nec gulæ laxent habenas; semper aliquis è loco superiore deuotum aliquem clara voce, & distinctè perlegat librum; vt, dum corpus reficitur, animus non esuriat. Antequam se locent in mensa, benedictio præmittatur, & mēsa absoluta gratiarum actio subsequatur.

CAPVT VII.

PRoprio quis discumbat in lectulo: abacus, & mensa

mensa, vbi lectiones relegere possit, paretur; nec vllus ad locum, in quo alius studet, sine Præfecti facultate, quæcumq; aderit causa, appropinquet. Cum seminario egrediendum est, vna simul omnes egrediantur; nec vllus ab alijs seiungatur, nisi iustissima id exegerit causa. Extra seminarium noctes traducere licet nemini, nisi in grauissimam ob causam Episcopus concesserit.

CAPVT VIII.

A iuramentis, rixis, mendacio, lusibus illicitis, ab ijs denique rebus, quæ solutioris vitæ signa præferunt, abhorreant; animum potius ad litterarum studia appellant; morigeri sint, & seminarij Rectori, magistris, & præfecto pareant, & obsequantur: quouis loco silentium seruent, maximè tamen in Refectorijs, cubiculis, & gymnasio; & vt in litteris, & bonis proficiāt moribus, à Beatissima Virgine, Sanctis omnibus, præsertim à Sancta Lucia, & Sancto Michaele Archangelo, cuius sub patrocinio viuunt, opem, lumen efflagitent, & auxilium. A prandio, & à cœna non incumbant ad studium; illud tamen temporis possunt insumere dando operam cātui Gregoriano,

CAPVT IX.

NE seminarij bona alicuius segnitie deperdantur, repertoriu[m] confi[ci]atu[r], in quo prouentuum, & beneficioru[m], q[ua]e quid illi soluere tenentur, scripturæ custodiantur. A deputatis necessaria adhibeatur sedulitas, & seminarij claues ab ipsis deputatis, detineantur; & ne adolescentes rebus careant necessarijs, B[e]neficiarij, Canonici, Pensionarij, & Ecclesiæ Collegiatæ duabus saltem vicibus seminar[i]o persoluant, quod debent; ni velint aut censuris, aut alio iuris remedio compelli.

CAPVT X.

SOrtes, seu capitalia ad seminarium pertinentia nullo in casu ad nouos emendos redditus applicentur, nisi Deputatorum in Vrbe, in Diœcesi nostra adfuerit facultas, & tunc omnia in seminar[i]j codicibus exarentur. Deputati decimo quoque anno litteris curiæ Episcopalis, vlla sine mercede dandis, limites bonoru[m], & beneficiorum instaurent: singulis mensibus expensas ad examen reuocent, & discutiant: annis etiam singulis rerum mobilium construant inuentarium.

Postre;

Postremò pecuniæ seminario tradendæ penès depositarium deponantur. Studeantq; Vicarij foranei, vt mensibus Martij, & Septembris, quæ seminario debentur, persoluantur, ni damna post dies quindecim suis de bonis peruelint resarcire.

DE IVDICIIS. Caput I.

MAgnæ Regiæ Curiæ in Iudicijs ritus, & eius festi, seu calendarium, quod tunc temporis vsurpatur, custodiantur: nostræ etiam magnæ Episcopalis Curiæ morē, & stylum comprobamus; nolumus tamen absolutionem iuramenti ad iudicio confli&andum, seu ad eff&um agendi concedatur, sed detur per simplicis porrectionem supplicationis.

CAPVT II.

CVm quis aliquem de criminibus, & delictis criminaliter vocat in Iudicium, eius non recipiatur accusatio, nisi subscripserit, velle se iuxta Pij V. sanctionem pœnæ talionis subiacere, & nisi per locupletes cauerit fideiussores, se damna, & versuras, si lite deciderit, accusato soluturum; nisi ponderata personæ, & delicti qualitate nostro aliter fuerit visum arbitrio.

CAPVT III.

EXpresse omnibus ministris, & nostrę Episcopalis Curiæ Curatoribus, seu Commissarijs præcipimus, ne Procuratoris pro alijs munus assumant, aut exequantur; secus ipso facto priuationem officij subibunt. Mandamus etiam, vt ipsi seruent, studeantq; vt omnes obseruent pandectas, extimationes, seu taxas, à nobis infra apponendas. Similiter volumus, vt pandectæ tam in Cancellariæ, quàm in Magistr. Notarij officio in tabellis exaratæ loco patenti appēdantur, quo omnes dignoscere possint, quantùm ipsis de iure soluendum est; & solutionum summæ in parte scripturarum externa adnotentur, & noster generalis Vicarius, & Iudices nullas in posterum subscribant, seu signent scripturas; nisi prius noster Cancellarius, vel magister Notarius per extensum, seu, vt ipsi loquuntur, longa manu, quod pendendum, & soluendum erit, adnotarint.

CAPVT IV.

CVratores, seu commissarij, & Delegati ad mandata exequenda, nisi prius præuio fuerit eorum peritia discussa examine, non admittantur;

tantur: Si verò apti fuerint reperti, in album referantur, seu matriculentur cum fideiussione saltem vnciarum decem; secùs Magister Notarius, & ipse delegatus vncias sigillatim persoluent decem.

CAPVT V.

SVb pœna vnciarũ decem Commissarij mandata exequutiua exercentes coram magistro notario, seu iureiurando astringãtur, fideliter, & secundũ legem, seu legaliter se in munere exercendo gesturos, & intra dies quindecim acta commissionum, & scripturas in nostrum Archiuium delaturos; quas ob scripturas exscribẽdas seiuncti comparandi sunt Codices.

CAPVT VI.

LItterarum exequutiones, quas vt perficiant Delegati exequutiui sunt destinandi, actorum, & scripturarum vigore roborentur: in ijs autem scripturis inserta debet esse expressa, & præsens obligatio, & via, quam vocant exequutiuam, vnà cum ad viaticum, & expensas iuxta ritus obligatione: Si aliter factum fuerit, formularius, Magister Notarius, si ille defuerit, ad omnia damna, versuras, seu interesse, & expensas

resar-

resarcienda adstringantur.

CAPVT VII.

CVm ad veritatem à Delegatis executiuis per nostram Diocesim destinandis sunt extrema verificanda, veritatis comprobatio, seu extremorũ verificatio exscribatur, & testes, si norint litteras formare, sua manu subscribant, vel eorum vicem in scribendo subeat alter. Horum exemplar ab ipso extractum, Vicario illius loci, vbi confecta fuerit veritatis comprobatio, ijdem delegati concredant, seu consignare habeant, & debeant; Si verò casu euenerit, vt prædicta in cāpis conficiatur comprobatio, exemplar Ciuitatis, vel Oppidi vicinioris Vicario erit tradendum. Hæc autem traditio, seu consignatio à die comprobationis vix altero elapso die est conficienda: secùs dicta verificatio nulli sibi, aut causæ erit adiumẽto. Vicarij verò proprijs dicta exemplaria subscribant manibus, & nullis solutis iuribus ob præstitum officium præsentent.

CAPVT VIII.

EXecrabilis pecuniæ cupiditas nullis vnquam potest exsaturari diuitijs, quæ ita comple-

vt homines transuersos agit, vt innumeris penè modis debitores paupertate oppressos dilanient, & diuellant; ad quod feritatis opus ab ipsis sæpè commissarijs, qui nonnunquam aliquid per nefas extorquent, inducuntur, & alliciuntur. Horum igitur frangere cupientes auaritiam statuimus, non posse imposterum pro eodem debito ex eodem contractu dimanãte, & in eodem tempore debitum in plures partes diuidi, & dissecari, nec plures vna procudi, seu causari executiones; sicut etiam vnus procurator, commissarius; & in casibus, quibus id per iura licet, apparitor, seu algozinus destinari potest: nequeunt etiam commissarij sine creditoris, vel legitimi procuratoris assensu cogere, fraudib' impellere, vel allicere, vt litteræ, & cõmissiones perficiãtur, seu expediãtur; qui assensus creditorũ, & procuratoris nullã vim habebit, si intra menses duos commissarij litteras non confecerint. Similiter nequeunt contra alios agere possessores, vt nouam ab illis extorqueant mercedẽ, si semel ab vno ex inquilinis, & possessoribus, aduersus quem agebant, iura, quæ ipsis debebantur, receperint. Itidem agere illis vetitum est contra eos, qui in cõmissionis litteris non nominantur, nec comprehenduntur. Tandem per publicum Notarium de sibi solutis iuribus conficiant apocas: qui nostris non paruerint de-
cretis,

eretis, omnino pœnam per anni spatium in carcere luēt, & ad soluendū parti damnum, & interesse compellentur.

CAPVT IX.

SAtis non esse declaramus, si ad implementa, vt ipsi loquuntur, quæ a commissarijs executiuis per primum, & secundum decretum cum possessionum notis perficiuntur, tantummodo in fasce scripturarum, seu actorum reponantur, quas deferent in Archiuiū; sed necessarium est, vt, expēsis ipsorum commissariorum in libris Archiuij ad hoc tantum deputatis inserantur, seu registrentur; secus Magister Notarius, seu commissarius sigillatim vncias dependent decem.

CAPVT X.

OPpositiones præsentandę per debitores (ipsorum vtimur vocibus) executos, siue per tertios pro suo interesse manu alicuius Aduocati Doctoris laurea insigniti, qui locū & Ciuitatem incolit, vbi præsentantur, sint subscriptæ; quæ si conditione caruerint, Magister Notarius non recipiat, & aliter receptæ non intrent. Quod si, dum illæ præsentantur pars, citanda, seu in quā agen-

agendum est, non aderit, & de illis facta fuerit prouisio, seu decretata à nostro Vicario Generali, & Iudicibus in nostra Magna Curia; à Vicarijs foraneis, & eius Consultoribus dies annotetur, & apposito die pro præsentatis à Magistro Notario habeantur, & eximentur; quamuis pars non fuerit adhuc admonita, & citata. Ab ista præsentatione oppositoriæ causæ, & articuli reiecti cucurrit instantia.

CAPVT XI.

VT falsitatis testium euellatur suspicio, maximè seueris, & grauibus in causis, quæ summum inferunt damnum, & præiudicium; decernimus, in causis, quæ ad irritam reddendam alicuius Regularis faciunt professionem, vel matrimonij disiunctionem, testes non posse recipi ad testandum dictarum rerum nullitatem, nisi coram Magna Episcopali Curia reuocentur ad examen, & alio modo recepti factum nõ comprobant.

CAPVT XII.

VT vaferrimorum hominum nequitia resecetur, qui, vt suę effrenatę indulgeant voluntati, animarum perniciem paruipendunt: san-

cimus, testes, qui in causis ad coniugia spectantibus testimonium sunt præstituri, magistro Notario, vel Actuario, quorum in præsentia testabuntur, cognitos, & perspectos esse debere: vel saltem alijs duobus testibus ab ipso tabellione, & Actuario cognitis primos testes pspectos esse. Et in testimonijs cōficiendis excribere tenentur, esse per eos cognitos, aut per tales sibi cognitos; secus eorū testimonia, seu depositiones irrita sint & nulla; & Magister Notarius, & actuarius mensem vnum explebunt in carceribus.

CAPVT XIII.

CVm comprobandum est, eum, qui contrahere cupit matrimoniū, omni vinculo coniugij esse solutum, ij debent adhiberi testes, qui illam Ciuitatem, seu locum incolunt, in qua vitam degit is, qui ducturus erit vxorem: eumque optimè cognoscant: vel quia illis in locis ante annum decimum quartum, si vir; si fœmina extiterit, ante duodecimū ad vitam agendam venerint, & cum alijs matrimonio non fuerint copulati; quod si ipsorum aliquis coniuge fuerit viduatus, aliud inire non poterit matrimonium, nisi prius per authenticam Parochi fidem liquidò constiterit, coniugem è vita migrasse.

CA-

CAPVT XIV.

VT Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum indemnitati consulamus; præcipimus, vt qui sortes, seu capitalia pro censuum implicatione persoluunt, aut emptionis, vel venditionis contractus excudunt; vel dotes, vt aliqua in Monialium numerum mulier adscribatur, recipiunt; vel pecunias pro tyronum, & Nouitiarum alimentis suscipiunt, de his omnibus bonis æstimationes, & minutas iuxta sanctionem, seu decretatam à nostra Curia præscribendam conficiant: quod si æstimationes, & minutas tutas, & securas esse, fuerit in recognitione repertum, à nostris Vicarijs foraneis, à Procuratorib⁹, & Monasterij Antistita, & ab Ecclesiæ, de cuius agitur bonis, procuratore, apponatur Bene stat; eorumque nos circa veritatem cōscientias peccatorum pondere præmimus, exceptis ijs quas incurrunt, pænis; ijs autem ad nostram Magnam Curiam traductis, si è scripturarum lectione optimum visum fuerit, æstimationes, & minutas publicare, qualibet in scripturarum pagina Iudicis, cui talis fuit demandata causa, subscriptio appingatur; ne forte fortuna contingat aliquas scripturarum paginas abscindi, & mutilari; & seruato in nostra

Cancellaria exemplo, vna cum scripturis in partes, in quibus minutæ promulgari debent, destinentur.

CAPVT XV.

OMnes aditus occludere cupientes, ne preter agentium intentionem aliquod decretum per suppositas personas à nostra Magna Episcopali Curia sanciatur, & emanet; impotterum absolutiones à iuramentis matrimonij, & professionis nullitatis non recipiantur, nec incohentur in nostra Magna Curia, nisi per actus, & consensus in manibus publici Notarij datos; præsentiũ, & eorum, qui supplices offerũtur libellis, voluntas constiterit; & assensus eorum actuum in authenticum exemplar in nostro Archiuio deferatur, & inseratur; secus irrita habebuntur, & Magister Notarius vncias soluet decem, & ad resarciendum parti damnum obstringetur.

CAPVT XVI.

QVoniam aliqui ad beneficiũ electi, & à nostra Magna Curia nõ exclusi segnitie quadam vel auaritia nullo modo student, vt priuilegia expediantur: aliqui verò electione, seu præsentatione facta, magno populorum scanda-

lo, & à sanctorum detrimento admissionem expetere negligunt: statuimus, vt omnes, vix duobus à præsentatione mensibus elapsis, & vix quatuor à prouisione de institutione mensium spatio præterlapso, curent, vt priuilegia conficiantur; si hisce præscriptis temporibus has non fuerint executi conditiones, præsentationes, electiones, & beneficia vacabunt, & priuilegiorum expeditiones ab illis conficiantur, quibus de iure conuenit. Si quis autem audaci temeritate pecunias exegerit, vel se quomodolibet intruserit pœnis à sacris Canonibus præscriptis deuincitur, & innodatur; si quid vero ex dictis beneficijs ad nos de iure deuoluto pertinuerit, primo reuelantibus concedatur.

CAPVT XVII.

QVotidie litigãtes maxima cum alterius partis versura, & damno causas protelant, & protendunt, &, vt iusta suis imponatur fraudibus excusatio, aliquos è nostris ministris aduocant in suspicionem, &, vt ipsi loquuntur, allegant in suspectos; ea fortasse consilii causa, quod nullis subjciantur pœnis: idcirco impostærum noster Generalis Vicarius, & Curiæ Episcopalis Iudices, ac Vicarij foranei nequeunt, vt suspecti recusari; nisi à partibus, & earũ Aduocatis,

& Procuratorib' supplex oblatus fuerit libellus, quo non proposito irrita est habenda recusatio. Quod si cum prædicta subscriptione defertur, & præsentatur, illicò vnius mensis, vel minoris spatij terminus parti recusanti currat, & labatur; quem intra terminum, & ad summum alios intra decem immediate subsequentes dies, est comprobanda suspicio: dicto autem elapso termino ipso facto absq; alia interloquutoria, seu declaratoria nostros ministros, quos recusarũt, declaramus aptos esse, ac si in illos nulla caderet suspicio, & pars quę illos in suspicionem adduxit, pœnam vnciarum quadraginta incurrat, quam etiam incidet in pœnam, si nullo modo vt suspectos habendos esse declarabitur. Debet autem interlocutoria clarè, & non obscurè pro ferri; & nulla potest appellatione suspendi; & in huius pœnæ executionem absq; interlocutoria, & sine quindecim dierum termino, seu quindena, est procedendum.

Nullo modo, sub pœna vnciarum quadraginta, ipsis ministris recusatis est concedendum, se in suspicionem aduocare, nisi casus inimicitiæ, cõsanguinitatis in gradu à legibus dispositio adurgeat; vel ea tantum in causa, in qua Aduocati munus exercuere, de quo actus aliquis extat, vel apparet scriptura; & has pœnas principaliter Fiscus exequetur. Ne tamen error ex nominum igno-

ignoratione exoriatur, illas tantum ad recusationes aptas esse, & sufficientes inimicitias declaramus, quæ palliatæ, seu affectatæ, & procuratæ nõ fuerunt, nec ex administratione officij ortum habuere; debent etiam inimicitiæ, vt possit adesse recusatio, intercedere inter ipsas partes, & ministros, vel inter coniuges earum, fratres, sorores, & inter ascendentes, vt vocant, & descendentes in infinitum; facultatem tamen extendendi dictas inimicitias ad alios consanguinitatis, vel affinitatis gradus, prout rectum visum nobis fuerit, non adimimus.

Si verò, post quam Vicarius Generalis, & Iudices causam conferre cœperint, vt litem dirimant, & expediant, litigantes ex conceptorum, & motiuorum suspicione, nouas ausi fuerint proponere suspiciones, & recusationes, nullo modo sunt audiendi: arbitrari nãq; licet, hęc illos impedimenta proponere, vt causa prorogetur, & extendatur. Id tamen intelligi debet, nisi noua suspicionis causa recenter emerserit: hoc autem in euentu duos tantum intra dies est comprobanda, quibus dilapsis recusantes, & in suspicionem aduocantes non audiantur, nisi nostro visum fuerit arbitrio longioris temporis spatium elargiri.

CA

CAPUT XVIII.

VT omnis contentionum origo tollatur, quę posset inter nostrum Procuratorem fiscalem, & proscriptos, quos dicunt, prosequtos, oriri, cum illis pro carcere Vrbs Syracusana sub fidei iussione decernitur, & designatur; declaramus, Castrum Maniacis intra Vrbis terminos, & limites comprehendi.

CAPUT XIX.

PLuries comprobatum habemus, Ecclesiasticas personas alieno ære affectas in carcere detrusas tàm inhabiles reddi, vt non solum creditoribus satisfacere di, sed nec etiam sibi victum comparandi modus adaperiatur: ideò mandamus nostræ Magnæ Episcopali Curiæ, cæterisq; Vicarijs foraneis, ne Sacerdotes, aut in sacris constitutos in carcere detrudant, nisi pro summa excedente vncias quinquaginta. Pro quacunq; verò alia summa supradictam quantitatem non attingente loco carceris assignent Ecclesiam, & Sacristiam, facta prius illis iniunctione sibi bene visa de retinendo illas pro carcere; poterunt enim sic & Missas celebrare, & ad substentationem necessarijs se prouidere.

PAN-

PANDECTAE TRIBVNALIS MAGNAE *Episcopalis Curia Syracusana per Illustriss. & Reuerendiss. Dominum: D. Ioannem Antonium Capiblanco Episcopum Syracusanum, & de Consilio Sua Catholica Maiestatis.*

Iura Vicarij Generalis.

Pro Visione cuiuscumque supplicationis memorialis. t. 1.
Pro qualibet cedula. t. 1.
Pro qualibet Iniunctione, aut mandato in scriptis ad instantiam partis. t. 1.
Oretenus vero, nihil.
Pro Visione cuiusuis Incartamenti, aut Processus ciuilis causæ Iudicialis. t. 1. 10.
Si fuerit Cartosũ, taxetur iuxta pandectas regni.
Pro iure prouisionis, quod fiãt litteræ inhibitoriales ad instantiã partis in causis ciuilibus. tt. 6.
Pro quolibet actu, qui additur in informationibus: vtpote examen, subitio rei, actus quod habeantur pro repetitis, & actus renunciationis termini. t. 1.
Pro qualibet littera iustitiæ. t. 1.
Pro præsentatione quarumuis litterarum extra

iudicium, vt litterarum Vice regiarum, executorialium cuiuslibet rescripti, aut aliarũ, t. 1.
Pro quauis contumacia, aut alio actu, qui scribatur extra iudicium. t. 1.
Pro qualibet sententia super validitate, aut inualiditate alicuius matrimonij, aut sponsalitij, aut nullitatis professionis, vncia vna iuxta Pãdectas Regni, & stylum Tribunalis. v. 1.
pro separatione quoad thorum. v. 1.
Et si fuerit inserta petitio alimentorum, vel restitutionis dotium, ad rationem granorum decem pro qualibet vncia.
Pro sentẽtia ad emphyteusim cõcedendi, & alienandi bona Ecclesiastica cum Canonico tractatu. tt. 6.
Pro firmando priuilegio dictæ licentiæ, seu Canonici tractatus, tt. 6.
Pro firmando litteras priuilegij dictę licentię, seu Canonici tractatus. t. 1.
Pro iure executionum: si ad litteras exercentur, soluatur ad rationem t. 1. 4. pro vncia; si vero absque litteris penes acta Magnæ Episcopalis Curiæ, ad rationem granorum duodecim iuxta pandectas Regni.
Pro sententis, decretis, aut alio quouis actu in dispensationibus matrimonialibus ex auctoritate Apostolica nil; nil etiam Vicarijs foraneis:
etiam · · · · Z A · · · · sed

sed pro visione informationum, & scripturarũ t. 1. 10. pro ut soluitur pro visione incartamenti ciuilis.

Pro purgatione excommunicationis in contumacia promulgata contra delinquentes tt. 7. 0. quorum tt. 2. 10. sunt Vicarij Generalis. tt. 2. 10. Magistri Notarij, et tt. 2. 10. Procuratoris Fiscalis. tt. 7. 10.

Pro mandato ad ipsam excommunicationem loco banni. t. 1.

Pro visione contractus, vel cuiusuis scripturæ.

Pro debitis ciuilibus ad instantiam partis. t. 1.

Pro visione libelli exceptionum quarumcumq; & Capitulorũ etiam in vim exceptionũ, præsentatorum, & oppositionum, nil.

Pro exequutione litterarum Apostolicarum super beneficijs, natalibus, dispensatione, legitimitate, seu habilitate ad ordines, & alijs huiusmodi, pręter indulgentias. t. 1.

Pro visione scripturarum super dictis litteris Apostolicis. t. 1. 10.

Pro visione litterarũ dimissorialiũ ad ordines, nil.

Pro quibusuis litteris commendatitijs Celebrandi extra Dioecesim. t. 1.

Pro quauis licentia Celebrandi Missas, Christi fidelium confessiones audiendi, Verbum Dei prædicandi, Sacramenta ministrandi, & a ca-

sibus reseruatis absoluendi, nil.
Pro quauis littera licentiæ pecunias; & capitalia Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum iuxta formam bullæ implicandi, Monasteria puellis ingrediendi, Diaconandi, & Monacandi, & his similiũ ad instantiã partis. t. 1.
Pro absolutione iuramẽtorum ad effectum agendi pro omni, & quocumque iure. tt. 20.
Pro firmãdo litteras dictę absolutionis iuramentorum. t. 1.

Iura Secretarij Cancellariæ.

Pro priuilegio Ordinum Clericorum. t. 1. 10.
Pro cõmissione cuiusuis supplicationis, nil. sed; si fuerit relata per ipsum Secretarium. g. 10.
Pro scribenda prouisione, seu relatione dictę supplicationis. g. 10.
Pro præsentata cuiusuis supplicationis. g. 10.
Pro expeditione cuiusuis litteræ iustitiæ, pro forma, & registro. t. 1. 10.
Pro expeditione illarum rerũ mere spiritualium, pro quibus nullũ ius competit Vicario Generali, Secretarius non capiat nisi t. 1. 4. quæ est decima pars aurei in totum pro data, & registro: exceptis tamen litteris licentiæ pecunias, & capitalia Ecclesiarũ, aut Monasteriorũ, &c. confessiones audiendi, prędicandi, à casibus reser-

reseruatis absoluēdi, & Sacramenta ministrandi, quæ fiant gratis quo ad scripturam.

Pro expeditione litterarum licentiæ pecunias, & capitalia Ecclesiarū, Monasteriorum, & beneficiorum iuxta formam bullæ implicandi, puellis Monasteria ingrediendi, Diaconandi, & monacandi, & his similium, ad instantiam partis, pro forma, & registro. t. 1. 10.

Pro expeditione litterarum licentiæ Missas celebrandi pro forma nil; sed pro registro. t. 1. 10.

Pro expeditione litterarum licentiæ alienandi bona Ecclesiastica, cum Canonico tractatu, pro forma, & registro. tt. 2.

Pro expeditione cuiusuis priuilegij, institutionis beneficij de iure patronatus, aut de iure deuoluto, ab vncijs duabus infra exclusiuè pro forma. tt. 10.

Ab vncijs verò duabus supra. tt. 20.

Pro registro vero. tt. 2.

Pro expeditione cuiusuis priuilegij fundationis Conuētus, aut aliàs, pro forma & registro. tt. 16.

Pro expeditione priuilegij institutionis, & creationis cōfraternitatis, aut aliàs, pro forma. tt. 6.

Pro registro. t. 1.

Pro expeditione priuilegij Officialium, scilicet Vicarij, Iudicis, & magistri notarij vncia vna pro quolibet; & Procuratoris Fiscalis tt. 15.

&

& Aerarij tt. 12. & pro registro omniũ priuilegiorum officialium t. 1. pro quolibet.

Pro præsentatione cuiusuis actus electionis beneficiorum, aut aliorum quorumuis actorum, scripturarum, & litterarum, etiam Apostolicarum: præter indulgentias. tt. 2.

Pro registro cuiuslibet dispensationis matrimonialis; & delegatione Apostolica; aut alias. tt. 3.

Sed si fuerit cartosa prout erit scriptura pro copia, & extracta cuiusuis supplicationis. tt. 15.

Et si excedit folium paginæ, ad rationem granorũ sex pro quolibet folio scripto intus, & extra vltra ius extractæ; ita quod in qualibet facie sint viginti lineæ; & in qualibet lineæ quinque dictiones vltra coniunctiuas, & disiunctiuas.

Pro cancellatione cuiusuis fideiussionis, iniunctionis, & iniunctionis exilij tt. 6. pro qualibet Cancellatione.

Pro expeditione cuiusuis priuilegij Canonicatuum, tam Cathedralis, quam Collegiatarum. v. 1. 6.

Pro forma, & registro. tt. 6.

Pro expeditione bullarum Apostolicarum pro beneficijs curatis tam in Vrbe, quam in Diœcesi & pro beneficijs collatis à Sancta Sede Apostolica. v. 1. 6.

Pro iure prouisionis beneficiorum, quæ altercantur

tur inter partes gr. 10. pro sing. vncijs valoris capitalis pro vt in pandecta.

Iura Sigilli.

Pro sigillanda qualibet litera iustitiæ de audientia testium, transmissionis cedulæ, responsalium, matrimonialium, monitorialium, & citatorialium, & simil. etiam in Domo. t. 1.
Pro visione, & sigillo Vicariatus, Iudicis, & Magistri notarij. t. 1.
Pro visione; & sigillo Procuratoris Fiscalis. g. 15.

Iura Magistri Notarij.

Pro præsentandis interrogatorijs, protestatis, attestationibus, informationibus, consultationibus, & similibus, tam in Curia, quã extra, nil.
Pro præsentandis scripturis, siue litteris responsalibus aduenientibus à Curijs foraneis. t. 1.
Pro copia capitulorum, & interrogatorijs habeat gran. 4. pro qualibet pagina plena: ita quod in qualibet facie folij fiant lineæ viginti, & in qualibet linea fiat dictiones quinq;, vltra coniunctiuas, & disiunctiuas, præter ius extractę.
Pro copia testium, & protestatorum, si excedunt folium, habeant ad rationem granorum sex

sex pro qualibet pagina scripta intus & extra, vltra ius extractæ: ita quod in qualibet facie paginæ sint lineæ 20 & in qualibet linea quinque dictiones vltra cõiunctiuas, & disiūctiuas.
Pro iure receptionis testium habeat granos duos pro quolibet teste examinato, & recepto, qui sint Magistri Notarij, & vltra gr. 4 qui sint eius, qui examinat, & recepit; & si contigerit ipsūmet Magistrū Notariū examinare testes, dicti gr. 4 sint ipsius magistri Notarij, & si contingerit testes examinari super interrogatorio partis aduersæ, habeat gr. 4 pro quolibet teste; pro iure extractæ testium ad instantiā producentis habeat gr. 2. pro quolibet teste.
Si vero pars, contra quam fuerit facta productio, petit copiā testium, habeat granum vnum pro quolibet teste.
Pro extracta capitulorum habeat gr. 1. pro quolibet capitulo, demptis rubrica, primo capitulo incipiente: quod præsens quæstio petit. &c.
Pro iure receptionis reuelationum, quæ fiunt timore cuiuscumq; excommunicationis, habeat gr. 8. pro qualibet reuelatione, vltra ius pedagij, quod sit gr. 10. pro quolibet teste reuelante.
